


BIBLIOTHECA SERAPHICO-CAPUCCINA
CURA INSTITUTI HISTORICI ORDINIS FR. MIN. CAPUCCINORUM EDITA

SECTIO HISTORICA — TOM. V

P. CONSTANTIUS AB ALDEASECA
O. F. M. CAP.

NATURA IURIDICA PAUPERTATIS
ORDINIS FRATRUM MINORUM CAPUCCINORUM
AB ANNO 1528 USQUE AD ANNUM 1638



ROMAE - 1943
INSTITUTUM HISTORICUM ORD. FR. MIN. CAP.
VIA SICILIA, 159

NATURA IURIDICA PAUPERTATIS

BIBLIOTHECA SERAPHICO-CAPUCCINA
CURA INSTITUTI HISTORICI ORDINIS FR. MIN. CAPUCCINORUM EDITA

SECTIO HISTORICA — TOM. V

P. CONSTANTIUS AB ALDEASECA
O. F. M. CAP.

NATURA IURIDICA PAUPERTATIS
ORDINIS FRATRUM MINORUM CAPUCCINORUM
AB ANNO 1528 USQUE AD ANNUM 1638

ROMAE - 1943
INSTITUTUM HISTORICUM ORD. FR. MIN. CAP.
VIA SICILIA, 159

P. CONSTANTIUS AB ALDEASECA
O. F. M. CAP.

NATURA IURIDICA PAUPERTATIS

ORDINIS FRATRUM MINORUM CAPUCCINORUM

AB ANNO 1528 USQUE AD ANNUM 1638



49-3-4



ROMAE - 1943
INSTITUTUM HISTORICUM ORD. FR. MIN. CAP.
VIA SICILIA, 159

Imprimi potest :

Romae, 16 Augusti 1943.

FR. DONATUS A WELLE
Min. Gen. O. F. M. Cap.

Imprimatur :

Romae, 22 Augusti 1943.

⊕ ALOYSIUS TRAGLIA
Arch. Caesariensis, Vicesgerens

PROOEMIUM

Duplici ex ratione argumentum pro hac dissertatione selectum est, nempe ob eiusdem singularitatem atque novitatem.

Verum quidem est Fratres Minores Capuccinos ex eorum Regula esse vere Mendicantes; attamen natura iuridica paupertatis apud ipsos in plurimis a paupertate aliorum Mendicantium discrepat, ita ut structuram et lineamenta iuridica paupertatis Fratrum Minorum Capuccinorum non agnoscat, qui eiusdem notionem ac proprietates in tractatibus generalibus sibi comparaverit. Quam quidem singularitatem hac in dissertatione in medium proferre mens est.

Labentibus saeculis, multa quidem scripta sunt circa paupertatem minoriticam, ab iis praesertim qui Regulam S. Francisci commentariis illustrarunt; sed expositores praefatae Regulae magis morali quam iuridica ratione istas quaestiones tractabant. Quamobrem iuridico sub hoc aspectu novitate sua profecto non careret quidam systematicus de franciscana paupertate tractatus. Nihilominus nostri argumenti novitas maior evadit; non enim sermo est generaliter de paupertate Fratrum Minorum, sed de paupertate particulariter apud Fratres Minores Capuccinos, et quidem primo saeculo eorum institutionis decurrente (1528-1638). Iam vero argumentum ita propositum sub hac forma est omnino novum, cum nostra dissertatio primun tentamen sit instaurandi aedificium iuridicum paupertatis Fr. Capuccinorum, prout illa aetate exstructum est.

Mens erat nullo temporis termino thema circumscribere; sed, progrediente labore, tum materiae copia tum temporis defectu consilium et sententiam mutavimus, ideoque argumentum intra fines primi saeculi historiae Ordinis Fr. Capuccinorum est circumscriptum. Quod tamen non absque causa fecimus. Et re quidem vera. Die 3 iulii an. 1528 vi bullae *Religionis zelus Clemens VII*

Ordinem Fratrum Minorum Capuccinorum canonice erigebat. Anno autem 1638 Sedes Apostolica eorumdem Fratrum constitutiones proprias in forma specifica primum confirmat; quae quidem specifica confirmatio constitutionibus tribuitur recognitis, innovatis et publicatis non ab Ordine, sed iubente card. Protecitore Antonio Barberini, O. F. M. Cap., qui eas potius Fratribus iniunxerat. Ordo autem cum Constitutiones proprias, in his quoque quae paupertatem respiciunt, adulteratas animadverteret, eas admittere renuit, et propterea an. 1643 Capitulum generale Ordinis novam edixit constitutionum editionem, quae ad antiquiorem formam illarum exacta et redacta est, recentioribus praetermissis innovationibus. Denique natura iuridica paupertatis Fratrum Minorum Capuccinorum hoc ipso saeculo penitus definitur ac robatur. Et hae sunt rationes praecipuae, propter quas argumentum ad praedictum tempus circumscriptum est.

In hac igitur disquisitione enucleare intendimus naturam iuridicam paupertatis religiosae Fratrum Minorum Capuccinorum, prout in fontibus iuris ante annum 1638 illam delineatam invenimus.

2. Praesens dissertatio in duas partes divisa est, in quarum prima, quae ad modum introductionis evolvitur, de determinatione fontium iuris paupertatis Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum disseritur. Huiusmodi partis momentum seu necessitas, cum a nemine unquam pertractata sit, neminem fugit, atque ex infra dicendis clare patebit. In altera vero parte, quae est pars dissertationis praecipua, sermo est de structura iuridica seu de lineamentis iuridicis paupertatis praesertim collectivae ipsius Ordinis aliarumque personarum moralium in Ordine existentium. Animadvertendum vero est quod cum natura iuridica paupertatis collectivae seu in communi apud Fratres Minores Capuccinos eadem sit ac privata et particularis singulorum Fratrum paupertas, idem propterea de hac dicendum est quod de paupertate in communi statuitur.

Insuper quia materia exposita atque propria doctrinae vocabula adhibita, cuiquam saltem, aliquando nova seu parum familiaria videbuntur, nos ipsi claritati ante omnia consulendum esse arbitrantes, neque notiones neque divisiones, aliaque huiusmodi omisimus, quae forsitan lectori eruditio minus necessaria poterunt videri. Ordinatio iuridica quarumdam quaestionum, v. gr.

de contractibus, de legatis, de recursu ad amicos spirituales, est vere intricata; ideoque maiore qua potuimus claritate eas proponere conati sumus.

3. Media seu subsidia ad hanc dissertationem conficiendam adhibita decursu tractationis singula recensita inveniuntur; satis sit ergo praecipua hoc loco summatio referre.

Imprimis doctrina a nobis tradenda e fontibus iuris hauritur, atque ex eorum editionibus et collectionibus sive authenticis sive criticis loci et textus pro adnotationibus desumpti sunt. Deinde opera scriptorum per vestigavimus qui hoc saeculo decurrente de minoritica paupertate scripserunt, quique vel ad familiam capucinam pertinent vel ad aliam familiam franciscanam, vel ab Ordine S. Francisci sunt extranei. Plusquam 23 tractatus a Fratribus Capuccinis conscriptos perlustravimus, qui de seraphica paupertate tempore illo disseruerunt; attamen maior operum pars manu scripta iacet atque ob temporum iniuriam vel periit vel in bibliothecis aut tabulariis ignota latitat; nihilominus nonnullos tractatus manuscriptos, qui in variis Ordinis provinciis adservantur, inspicere potuimus. In his operibus doctrina regulae S. Francisci exponitur secundum principia et praxin apud Fratres Capuccinos tunc temporis recepta; auctores autem sunt omni exceptione maiores, siquidem ex his complures Superiores maiores fuere sive generales sive provinciales, ideoque magnam auctoritatem magnumque momentum in eorum commentariis agnoscere necesse est.

Ad doctrinae generalis expositionem quod attinet, etiam opera aliorum scriptorum adhibentur, qui vel ante vel post Fratum Capuccinorum reformationem, regulam seraphicam recte explanarunt; sed praesertim illos tractatus inspeximus qui saeculo XVI exarati sunt, ut hoc pacto doctrina apud nostrates recepta cum principiis ab aliis admissis comparari possit. Neque illos scriptores praetermisimus qui ad Ordinem Minoriticum non pertinent, quique aetate illa de paupertate Fratum Minorum Capuccinorum, praesertim in disputationibus de Iustitia et Iure, disseruerunt.

Tandem in *Chronicis*, sive editis sive non editis, a Fratribus Capuccinis conscriptis lumen ad has nostras disquisitiones iuridicas illustrandas quaesivimus et invenimus; in illis enim miranda paupertatis praxis ob lectorum oculos ponitur.

Antequam huic praefationi finem imponamus, duo animad-

vertenda sunt; a) quaecumque in praesenti disquisitione pertractantur, historice legenda sunt, quia non Regulae franciscanae expositionem sed monographiam historico-iuridicam scripsimus; b) disquisitio nostra in multis certe deficiet; meminerint tamen lectores hanc dissertationem primum esse tentamen systematicae et logice sub aspectu iuridico tractatuni paupertatis Fratrum Minorum Capuccinorum exponendi, primo saeculo eorum institutionis canonicae.

Faxint Deus ac Immaculata Virgo Deipara, ut ea quae de nostra seraphica paupertate filiali devotione conscripsimus, quoslibet lectores, maxime autem sodales Capuccinos, fortiter suaviterque allicant ad veras divitias peramanter prosequendas.

BIBLIOGRAPHIA

I. — FONTES

- Analecta Ordinis Fr. Minorum Capuccinorum, Romae, 1884 sq.
- Bizzarri, Collectanea in usum Secretariae Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, Romae, 1863.
- Bullarium Ordinis FF. Minorum S. P. Francisci Capuccinorum, t. I-VII, Romae, 1740-1752, t. VIII-X, Oeniponte, 1883-1884.
- Bullarium Franciscanum, t. I-IV, Romae, 1759-1768, t. V-VII. Romae, 1898-1904; Nova series, t. I, Quaracchi, 1929.
- Bullarii Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum Regestum; disposuit, annotavit et complevit P. Pius a Langonio, O. F. M. Cap., Romae, 1892.
- Bullarium Romanum, Augustae Taurinorum, 1857-1872.
- Codex Iuris Canonici, Pii X Pont. Max. iussu digestus, Benedicti XV auctoritate promulgatus, Romae, 1917.
- Collectio authentica Ordinationum ac Decisionum Capitulorum Generalium Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum edita iussu Reverendissimi P. Bernardi ab Andermatt totius praefati Ordinis Ministri Generalis, *in Analecta Ord. Min. Capuccinorum*, t. V et sq.
- Concilium Tridentinum. Diariorum, Actorum, Epistularum, Tractatuum nova Collectio, ed. Societas Goerresiana. Tom. IX collegit, edidit, illustravit Stephanus Ehses, Friburgi Brisgoviae, 1924.
- Constitutiones Fratrum Minorum Capuccinorum anni 1529, *in Le prime Costituzioni dei Frati Minori Cappuccini*, Roma, 1913.
- Constitutiones Fratrum Minorum Capuccinorum anni 1536, *in Primigeniae legislationis Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum textus originales*, ed. P. Eduardus Alenconiensis, O. F. M. Cap., Romae, 1928.
- Constitutiones Fratrum Minorum Capuccinorum anni 1552, *in Primigeniae legislationis Ord. FF. Min. Cap. textus originales*, Romae, 1928.
- Constitutiones Fratrum Minorum Capuccinorum anni 1575, *in Le prime Costituzioni dei Frati Minori Cappuccini*, Roma, 1913.
- Constitutiones Fratrum Minorum Capuccinorum anni 1608, *in Costitutioni de Frati Minori Cappuccini di S. Francesco*, Roma, 1609.
- Corpus Iuris Canonici, ed. Lipsiensis (Friedberg), Lipsiae, 1879-1881.

- Mansi D., *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio*, Florentiae 1759-1798, ed. iterata et continuatio Parisiis 1903-1915, Arnhem et Lipsiae, 1923-1927.
- Michael A. a Neapoli, O. F. M., *Chronologia historico-legalis Seraphici Ordinis Fratrum Minorum*, Neapoli, 1650.
- Monumenta ad Constitutiones Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum pertinentia, in lucem edidit Revms. P. Venantius a Lisle-en-Rigault, eiusdem Ordinis Minister Generalis, Romae, 1916.
- Opuscula Sancti Patris Francisci Assisiensis, ed. a PP. Collegii S. Bonaventurae, Ad Claras Aquas, 1904.
- Ordinationes et Decisiones Capitulorum Generalium Ordinis FF. Min. S. Francisci Capuccinorum typis mandatae iussu Revmi. P. Venantii a Taurino, Ministri Generalis, Romae, 1851. Appendix Ord. et Dec., Romae, 1852.

II. — LITTERATURA

A. — OPERA MANUSCRIPTA.

- BARTHOLOMAEUS VECCHI A BONONIA, O. F. M. CAP., *Disputationes in caput sextum Regulae S. Francisci*. Cod. f. 90 : 28 × 20, in Arch. Prov. Cap. Bononiae.
- CLAUDIUS BITURICENSESIS, O. F. M. CAP., *Breviarium Chronologicum O. M. Cap.* 1525-1691. Cod. 1361 (U. 76) Bibliothecae municipalis Rothomagensis. Usi sumus apographo Arch. Gen. O. F. M. Cap., Romae.
- GIOVANNI MARIA DA TUSA, O. F. M. CAP., *Dichiaratione sopra la Regola dei Frati Minori*. Cod. f. 126, 13 × 10, in Arch. Prov. Cap. Florentiae.
- MATTIA BELLINTANI DA SALO, O. F. M. CAP., *Historia Capuccina*. Ms. in Arch. Gen. O. M. Cap.
- SILVESTRO D'ASSISI, O. F. M. CAP., *Dichiaratione della Regola dei Frati Minori cavata dai Sommi Pontefici, e da diversi Dottori dell'Ordine*. Cod. f. 466, 13 × 10, in Arch. Prov. Cap. Florentiae.

B. — OPERA EDITA.

- ALBERTUS A BULSANO, O. F. M. CAP., *Expositio Regulae Fratrum Minorum*, editio novissima, Romae, 1932.
- AMEDEO DA VARAZZE, O. F. M. Cap., *L'Ordine dei Frati Minori Cappuccini. Periodo di formazione (1525-1534)*, Genova, 1930.
- Analecta Franciscana sive Chronica aliaque documenta ad historiam Fratrum Minorum spectantia, t. I-IX, ed. a PP. Collegii S. Bonaventurae, Ad Claras Aquas, 1885 sq.
- ANGELUS CLARENUS, *Expositio Regulae Fratrum Minorum*, ed. P. Livarius Olinger, O. F. M., Ad Claras Aquas, 1912.

- ANTONIUS DE CORDUBA, O. F. M., *Expositio evangelicae Regulae Seraphici Patris S. Francisci*, Venetiis, 1610.
- Archiv für Literatur und Kirchengeschichte des Mittelalters, ed. Denifle, O. P., et Ehrle, S. J., t. I-III. Berlin, 1885-1887, IV-VII, Freiburg, 1888-1892.
- Archivum Franciscanum Historicum, ed. a PP. Collegii S. Bonaventurae, Ad Claras Aquas, 1908 sq.
- Archivo Ibero Americano, ed. a PP. Franciscanis, Madrid, 1914 sq.
- AUREOLUS PETRUS, *Tractatus de paupertate et usu paupere*, in Firmamentum Trium Ordinum, pars III, f. 126v-129v, Venetiis, 1513.
- AZORIUS J., S. J., *Institutiones Morales*, Romae, 1600.
- BELLARMINUS (S.) R., S. J., *De Controversiis*, Neapoli, 1856.
- BERNARDINUS A COLPETRAZZO, O. F. M. CAP., *Historia Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum* (1525-1598). Liber I. Praecipui nascentis Ordinis eventus. — Lib. II. Biographiae selectae. — Lib. III. Ratio vivendi Fratrum. Ed. a P. Melchiore a Pobladura, O. F. M. Cap., in *Monumenta Historica Ord. Min. Capuccinorum*, t. II-IV, Assisi-Romae, 1939-1941.
- BERNARDO DA BOLOGNA, O. F. M. CAP., *Lezioni sopra la Regola dei Frati Minori di S. Francesco*, Bologna, 1764.
- BONAVENTURA (S.), *Opera Omnia*, Vol. VIII, Ad Claras Aquas, 1898.
- BOVERIUS SALUTIENSIS Z., O. F. M. CAP., *Annalium seu Sacrarum historiarum Ordinis Minorum S. Francisci qui Capuccini nuncupantur* tomi duo, Lugduni, 1632-1639.
- BRENDULINO B., O. F. M., *Expositione de la Regula di Frati Minori*, Venetia, 1533.
- CARAMUELIS J., O. C. R., *Theologia Regularis*. T. I, pars sexta, *Commentarium in Regulam Sancti Francisci*, Lugduni, 1665.
- CASARUBIOS A., O. F. M., *Compendium Privilegiorum Fratrum Minorum et aliorum Mendicantium et non Mendicantium reformatum* per R. P. F. Hieronymum a Sorbo, O. F. M. Cap., Neapoli, 1595.
- CASTROPALAO J. DE, S. J., *Summa Moralis*, pars tertia. Lugduni, 1649.
- Collectanea Franciscana, ed. a PP. Collegii Assisiensis S. Laurentii a Brundusio O. F. M. Cap., Assisi, 1931 sq.
- CUTHBERT, O. F. M. CAP., *I Cappuccini e la Controriforma*, vers. e lingua anglica facta a P. Arsenio da S. Agata Feltria, O. F. M. Cap., Faenza, 1930.
- CYRILLUS A BERGOMO, O. F. M. CAP., *De morientium elemosynis*, Lugduni, 1680.
- CYPRIANUS CROUSERS ANTVERPIENSIS, O. F. M. CAP., *Lectiones paraeneticæ ad Regulam Seraphici Patris S. Francisci*, Coloniae Agrippinae, 1625.
- DIANA A., *Resolutiones Morales*, Venetiis 1636.
- EDUARDUS ALENCONIENSIS, O. F. M. CAP., *Les premiers couvents des Frères-Mineurs Capucins*, Paris-Couvin, 1912.

- Tribulationes Ordinis Minorum Capuccinorum, Romae, 1914.
- De primordiis Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum (1525-1536), Romae, 1921.
- Primigeniae legislationis Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum textus originales, Romae, 1928.
- EMIDIO D'ASCOLI, O. F. M. CAP., I primi conventi dei Frati Minori Capuccini, Roma, 1928.
- FERRARIS L., O. F. M., Prompta Bibliotheca canonica, iuridica, moralis, Venetiis, 1782.
- Firmamentum trium Ordinum, Venetiis, 1513.
- FRÉDÉGAND CALLAHEY, O. F. M. CAP., Étude sur Ubertin de Casale, Louvain, 1911.
- L'infiltration des idées franciscaines spirituelles chez les frères-mineurs capucins au XVI^e siècle, *in* Miscellanea F. Ehrle, I, 388-404.
- GIOVANNI DA FANO, O. F. M. CAP., Dialogo de la salute tra il frate Stimolato et il frate Rationabile circa la Regola dellli Frati Minori et sue dechiarationi con molte necessarie additioni, di novo ricomposto et ristampato. Trascritto con prefazione e note del P. Bernardino da Lapponda, O. F. M. Cap., Isola del Liri, 1939.
- Breve discorso circa l'osservanza del voto della minoritica povertà, ed. Eduardus Alenconiensis, *in* Analecta Ord. Min. Cap., 1911, t. XXVII.
- GIUSEPPE DA MONTE ROTONDO, O. F. M. CAP., Gl'inizi dell'Ordine Cappuccino e della Provincia Romana, Roma, 1910.
- GRATIEN, O. F. M. CAP., Histoire de la fondation et de l'évolution de l'Ordre des Frères Mineurs au XIII^e siècle, Paris, 1928.
- GREGORIO DA NAPOLI, O. F. M. CAP., Regola unica del Serafico S. Francesco con la dichiaratione fatta da diversi Pontefici, Venetia, 1589.
- HIERONYMUS A POLITIO, O. F. M. CAP., Expositio cum dubiis excussis in Regulam Seraphici Patriarchae S. Francisci, Neapoli, 1606.
- HIERONYMUS A SORBO, v. Casarubios.
- HOLZAPFEL H., O. F. M., Manuale historiae Ordinis Fratrum Minorum, Friburgi Brisgoviae, 1909.
- HUGO DE DINA, Expositio Regulae Fratrum Minorum, *in* Monumenta Ord. Minorum, t. II, f. 46 v-77 r.
- HYACINTHUS DE CASALE, O. F. M. CAP., Tractatus de paupertate religiosa, Antverpiae, 1656.
- IOANNES A TERRANOVA, O. F. M. Cap., De origine Fratrum Minorum Capuccinorum. Chronica, ed. a P. Eduardo ab Alenconio, O. F. M. Cap., in AO, 1907, t. XXIII.
- LESSIUS L., S. J., De Iustitia et Iure, Venetiis, 1617.
- Liber Memorialis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, Romae, 1928.
- L'Italia Francescana, t. I-X, ed. a PP. Capuccinis, Romæ, 1926 sq.

- LOUIS DE PARIS, O. F. M. CAP., *Exposition littérale de la Règle des FF. Mineurs*, Paris, 1623.
- LUGO J. DE, S. J., *Disputationes Scholasticae et Morales*. Tom. V, *De Iustitia et Iure*, Parisiis, 1893.
- LUCCIA, MARCELLINUS DE, *De Iure PP. Minorum S. Francisci Capuccinorum deciso*, Romae, 1737.
- *De legatis pro victu Religiosis Mendicantibus relicto*, Parmae, 1711.
- MARCELLINUS MATISCONENSIS, O. F. M. CAP., *Annalium Ord. Min. Capuccinorum tomus tertius*, Lugduni, 1676.
- MARCHANT P., O. F. M., *Expositio literalis in Regulam S. Francisci*, Antwerpiae, 1631.
- MARIUS A MERCATO SARACENO, O. F. M. CAP., *Relationes de origine Ordinis Minorum Capuccinorum*, in lucem editae a P. Melchiore a Po-bladura, eiusdem Ordinis, *in Monumenta Historica Ord. Min. Capuccinorum*, t. I, Assisi, 1937.
- MIRANDA L., O. F. M., *Manualis Praelatorum Regularium*, Placentiae, 1616.
- MOLINA L., S. J., *De Iustitia et Iure*, Moguntiae, 1614.
- Monumenta Ordinis Minorum*, Salmanticae, 1511.
- PASTOR L., *Storia dei Papi dalla fine del medio evo. Versio italica facta ab A. Mercati et P. Cenci*, Roma, 1910-34.
- PIATUS MONTENSIS, O. F. M. CAP., *Praelectiones Iuris Regularis*, Tornaci, 1900.
- Quattuor Magistri, *Expositio super Regulam Fratrum Minorum*, *in Monumenta Ordinis Minorum*, t. II, f. 19 v-24 r.
- RENÉ DE NANTES, O. F. M. Cap., *Histoire des Spirituels dans l'Ordre de Saint François*, Paris, 1909.
- RODERICUS E., O. F. M., *Quaestiones Regulares et Canonicae*, Turnoni, 1609.
- RUFINO DA SIENA, O. F. M. CAP., *I Frati Minori Cappuccini nel primo secolo dell'origine*, ed. primum a P. Syxto a Pisa, *in L'Italia Francescana*, t. I-X.
- SANCHEZ T., S. J., *De praeceptis Decalogi*. Tom. II, *in quo de religioso statu, ac professione disseritur*, Venetiis, 1738.
- SANTI THESAURO ROMANO, O. F. M. CAP., *Esposizione sopra la Regola del Serafico Padre S. Francesco*, Roma, 1614.
- SANTONI M., *I primordii dei Frati Cappuccini nel ducato di Camerino*, Camerino, 1899.
- SCHMALZGRUEBER F., S. J., *Ius Ecclesiasticum universum*, Romae, 1844.
- Serena Conscientia, *in Monumenta Ordinis Minorum*, t. II, f. 118v-147v.
- SOTO D., O. P., *De Iustitia et Iure*, Venetiis, 1584.
- SUAZER F., S. J., *Opera omnia*, t. XV-XVI, Parisiis 1859.
- TIMOTHAEUS SCHAEFER, O. F. M. CAP., *De Religiosis ad normam Codicis Iuris Canonici*, 3 ed., Roma, 1940.

VIATORE DA COCCAGLIO, O. F. M. CAP., *Tracce di tradizione sopra la Regola dei Frati Minori*, Venetia, 1780.

WADDINGTON LUCAS, O. F. M., *Annales Minorum*, editio tertia. Ad Claras Aquas, 1931 sq.

PRAECIPUAE ABBREVIATIONES

A F H	= Archivum Franciscanum Historicum.
A I A	= Archivo Ibero Americano.
A O	= Analecta Ordinis Min. Capuccinorum.
B C	= Bullarium Capuccinum.
B F	= Bullarium Franciscanum.
B R	= Bullarium Romanum.
Const.	= Constitutiones FF. Min. Capuccinorum.
Lib. Mem.	= Liber Memorialis Ordinis FF. Min. Capuccinorum.
Mon. ad Const.	= Monumenta ad Constitutiones Ordinis Fratrum Min. Capuccinorum.
Mon. Ord.	= Monumenta Ordinis Minorum.
O D	= Ordinationes et Decisiones Capitulorum Generalium.

PARS PRIMA

DE FONTIBUS IURIS PAUPERTATIS
FRATRUM MINORUM CAPUCCINORUM
USQUE AD ANNUM 1638

PRAENOTANDA

4. — Ordo Fratrum Min. Capuccinorum inter Congregationes Religiosas saeculo decimo sexto primo exortas communerandus non est; non enim est Religio nova, sed Reformatio. Religio vero, quae Reformatio dicitur et est, non peragit absolutam eversionem status iuridici illius Religiosi Instituti proprii, ex quo ipsa provenit, sed innovationem partialem instaurat; ut Reformatio existendi ratione non careat, haec partialis innovatio saltem ad sphaeram vitae practicae debet pretendi, tamen ordinarie ipsum quoque iuris statum attingit. Ideo Reformationes communiter non tantum vitam, sed etiam ius partialiter corrigit; et si ius tantum partialiter innovant, aliam iuris partem ex iure praeterito retinent; unde sequitur, quod Reformationes omnes nascuntur plurimis iam anteacto tempori devinctae vinculis, non tantum historicis, verum et iuridicis.

Ex modo facta consideratione consequentia non levis momenti sequitur, i. e. Capuccinorum initia non posse sub ullo aspectu recte pertractari, si studium iuris et historiae illius Religionis, ex qua ipsi procedunt, penitus praetermittatur.

Iam vero in praesenti dissertatione definire intendimus Ordinis Capuccinorum iuridicam paupertatem primo saeculo durante; haec vero quaestio, ut ex dictis elucet, nec pertractari, nec definiri recte ac iuridice poterit, nisi prius determinentur et agnoscantur omnes fontes iuris Fratrum Capuccinorum proprii, i. e. ius, quod retinetur ex periodo praecapuccina, et ius novum, scilicet, quod nova Reformatio sibi ipsi constituit. Inde elucet et utilitas et absoluta necessitas studii praevii ad hoc determinandum, quod in prima parte aggredimur. Solum hoc studio praemisso, ad argumentum evolvendum ulterius procedere secure possumus.

Duobus capitibus hanc quaestionem absolvimus.

CAPUT I

DE IURE FRATRUM CAPUCCINORUM PROPRIO AB AN. 1528 AD AN. 1536

5. — Clemens VII bulla *Religionis zelus* (3 iul. 1528) Capuccinorum Reformationem legaliter constituit (1). Anno autem 1536 Constitutiones pro tota Reformatione promulgantur, quibus pristina Capuccinorum positio relate ad ius praecapuccinum immutatur. Hac tantum de causa temporis spatio ita modico proprium dicamus capitulum.

Art. 1. — IUS RETENTUM EX LEGISLATIONE FRANCISCALI PRAECEDENTI

A. — *Fratrum Capuccinorum conditio comparate ad ius franciscanum ipsis praecedens.*

6. — Cum determinare volumus qualis fuerit Fratrum Capuccinorum respectus ad ius franciscanum ipsis praecedens, verbum «ius» non sumitur acceptione universalis, sed restricta ad ius paupertatis, et ad illud, quod cum iure paupertatis connectitur. Praescindimus prorsus a quaestionibus a themate nostro alienis, ut esset exempli causa inquirere eorum respectum ad ius administrativum vel poenale.

Fontes legales huiusmodi iuris paupertatis Franciscanorum proprii, plurimi sunt, atque opportunum erit hoc loco singulatim eos recensere et integre referre. Ad nos quod attinet hi fontes, ad triplicem categoriam bene reducuntur: *Monumenta fundamentalia*, *Monumenta pontificia* et *Monumenta diversa*.

(1) Cf. BC, t. I, p. 3.

1) *Monumenta fundamentalia sunt :*

a) Regula Fratrum Minorum ;

b) Testamentum S. Patris Francisci, de cuius vi obligatoria fere ab exordio Ordinis Minorum duae exstiterunt oppositae sententiae (1).

2) *Monumenta pontificia.*

In hac secunda fontium categoria includuntur praecipue :

a) Declarationes Regulae seraphicae a summis Pontificibus factae (2) ;

b) Decreta pontificia non proprie declarationes (3) ;

c) Privilégia non pauca a Sede Apostolica Franciscalibus sive directe sive vi communicationis concessa et cum Regulae paupertate connexa (4).

3) *Monumenta diversa* edita ab organis legislativis Ordinis Minoritici, praesertim :

a) Constitutiones (5) ;

(1) Cf. H. HOLZAPFEL, *Manuale historiae Ordinis Fratrum Minorum*, p. 21, 37, 51, 57.

(2) Praecipuas declarationes iuvat hue memorare; GREGORIUS IX, bulla *Quo elongati* (28 sept. 1230), BC, t. VI, 10; INNOCENTIUS IV, bulla *Ordinem vestrum* (14 nov. 1245), BC, t. VI, 22; NICOLAUS III, *Exiit qui seminat* (14 aug. 1279), c. 3, V, 12 in VI; MARTINUS IV, in Edicto *Exultantes in Domino* (18 ian. 1283), BC, t. VI, 67; CLEMENS V, *Exivi de paradyso* (6 maii 1312), c. 1, V, 11 in Clem.; JOANNES XXII, *Quorundam exigit*, (13 apr. 1317), c. I, 14 Extravag. Joann. XXII; MARTINUS V, *Const. Cum Generale* (6 jun. 1430), BC, t. VI, 127; IDEM, *Ad Statum* (23 aug. 1430), BF, t. VII, 739,

(3) Cf. BC, t. VI.

(4) De privilegiis Ordinis Minorum exstat opus per celebre: ALPHONSUS DE CASARUBIOS, *Compendium privilegiorum Fratrum Minorum et aliorum Mendicantium et non Mendicantium*, Neapoli 1595. Hac editione usi sumus.

(5) Verbum hoc sumitur veteri significatione, i. e. quatenus leges sunt, quae adminiculum et supplementum Regulae suppeditant, cuius interpretantur obscuriora, breviora explicant, deficientia supplent, expeditam denique et proximam Regulae praxim efficiunt. Cf. *Mon. ad Const.*, p. 10. Series huiusmodi Constitutionum, labentibus annis, sive pro diversis franciscalibus familiis sive pro una eademque familia, nuper edita est a Marino a Neukirchen, O. F. M. Cap. Cf. *Constitutionum generalium primi Ordinis seraphici series chronologica*, in *Collect. Franciscana*, 1942, t. XII, p. 377-396. Vide etiam MICHEAL ANGELUS A NEAPOLI, *Chronologia historico-legalis Seraphici Ordinis Fratrum Minorum*, t. I, col. 1209-1633, Neapoli, 1650; H. HOLZAPFEL, *op. cit.*, p. 19-35. Nonnulli Constitutionum textus integri et incorrupti difficulter inveniuntur tum ob temporum iniuriam, cum ob voluntatem maiorum, qui aliquando destructionem veterum Constitutionum, novis publicatis receptisque, imposuerunt. Cf. S. BONAVENTURA, *Opera omnia*, t. VIII, p. 464.

b) Ordinationes Capitulorum generalium, ius nempe ad Ordinem universum pertinens (1).

Videamus nunc qualis fuerit nostrae Reformationis conditio relate ad fontes praenuntiatos.

B. — *Conditio Fr. Capuccinorum comparate
ad Seraphicam Regulam*

7. — Cum quaestio movetur de conditione Fr. Capucinorum relate ad seraphicam Regulam, minime dubitatur an Regula fuerit necne, ab ipsis recepta, (similis quaestio prorsus absonta erit dicenda); modum tantum determinare perquirimus, quo Fr. Capucini, hac periodo decurrente, Regulam observare satagunt, quia in hoc diversae positiones exsistere queunt.

Seraphicus Legislator scripserat in suo Testamento: « Et omnibus meis clericis et laicis praecipio firmiter per obedientiam, ut non mittant glossas in Regula neque in istis verbis dicendo: Ita volunt intelligi; sed, sicut dedit mibi Dominus simpliciter et pure (2) dicere et scribere Regulam et ista verba, ita simpli- citer et pure intelligatis et cum sancta operatione observetis usque in finem » (3).

Haec S. Francisci verba diverso oppositoque modo ferme ab ipsis Ordinis incunabilis aliqui sunt interpretati. Nonnulli, Spirituales dicti, omnes Regulae glossas, non exclusis pontificiis Regulae declarationibus, inutiles dixerunt et nocivas (4); alii vero non nisi glossas arbitrarie factas et declarationes puritati atque simplicitati Regulae contrarias in allatis verbis Testamenti damnatas iudicabant (5).

(1) Ordinationes vel Decreta Capitulorum generalium vocantur etiam in fontibus «Memoralia», «Statuta» et aliis nominibus designantur. Cf. H. HOLZAPFEL, *op. cit.*, p. 33.

(2) Alii codices: «simpliciter et sine glossa». Cf. *Opuscula S. Francisci Asiensis*, p. 176, annot. (a), p. 82.

(3) *Op. cit.*, 82. Legitur Christum Seraphico Patri dixisse: « et volo quod regula sic servetur ad litteram, ad litteram, ad litteram, sine glossa, sine glossa, sine glossa ». Cf. *Speculum perfectionis*, ed. P. Sabatier, p. 2, Manchester, 1928.

(4) Cf. P. GRATIEN, *Histoire de la fondation et de l'évolution de l'Ordre des Frères Mineurs*, p. 409-411.

(5) H. HOLZAPFEL, *op. cit.*, p. 37-38; ALBERTUS A BULSANO, *Expositio Regulae Fratrum Minorum*, n. 5, p. 23.

Fratres Capuccini in hac periodo magis ad primam sententiam accedunt, dum in sequenti ad alteram certe configiunt (1).

Fr. Capuccini ergo in hac prima periodo regulam seraphicam student ad litteram observare, omnibus reiectis pontificiis Regulae declarationibus; validissima documenta, etsi non plura, certe hoc nos edocent.

In bulla *Religionis zelus*, qua exordiens Reformatio cononice instituitur, nihil expresse de hac re invenimus constitutum; nihilominus praedictam positionem satis indicare videntur verba illa: « Et deinde vobis desiderantibus... quantum humana patitur fragilitas, Regulam Bti. Francisci observare » (2), quia absque dubio rigidius est Regulam observare ad litteram, quam iuxta declarationes pontificias. Attamen necesse non est nisi argumentando et aliquid inferre, cum id in documentis pontificiis clarissime enuntietur. Sane Clemens VII in Litteris Apostolicis *Pastoralis officii cura* (15 april. 1534) ad Andream Episcopum Praenestinensem, Cardinalem de Valle nuncupatum, directis, de Fratribus Capuccinis disserens, scribebat: « Accepimus siquidem quod nonnulli Ordinis Fratrum Minorum Regularis Observatiae nuncupatorum professores, praetendentes se velle Regulam Bti. Francisci ad unguem, iuxta eius litteralem sensum, et non iuxta declarationes super illam hactenus per Romanos Pontifices praedecessores nostros editas, observare... se fratres Capucciatis nuncupantes » (3).

Eodem anno et mense, paucis diebus post breve nuper alatum, idem Pontifex Ludovico a Forosemponio eiusque sociis litteras sequentis tenoris scribebat: « Cum sicut accepimus, vos praetendentes velle Regulam Beati Patris vestri Francisci ad

(1) Nolumus hic quaestionem tangere circa participationem Capuccinorum in ideologia Spiritualium. Cf. P. F. CALLAIX, *L'infiltration des idées franciscaines spirituelles chez les Frères-mineurs Capucins au XVI siècle*, in *Miscellanea F. Ehrle*, I, 388-404, Roma 1924; P. CUTHEBERT, *I Cappuccini e la Controriforma*, p. 516-517.

(2) BC, t. I, p. 3. Eadem verba inveniuntur in brevi *Exponi nobis* (3 iul. 1528) Ludovico et Raphaeli a Forosemponio directo; agitur tamen de iisdem Apostolicis Litteris primo sub forma brevis, postea, substantia earum remanente, eodem die datis et sub solenniori forma bullae expeditis. Archiv. Vaticano, *Minute dei Brevi di Clemente VII*, Arm. XL, vol. 20, epist. 1191.

(3) Arch. Vatic., *Minute dei Brevi di Clemente VII*, Arm. XL, vol. 47, num. 243. Cf. EDUARDUS ALENCONIENSIS, *De primoriis Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum*, p. 116-117.

unguem, iuxta eius litteralem sensum, et non declarationes super illam per Romanos Pontifices praedecessores nostros hactenus editas observare » (1).

Ex quibus documentis luce clarius apparet Fratres Capuccinos hac prima periodo decurrente nullam pontificiam Regulae declarationem incorporasse iuri suo.

8. — Non tantum pontifica documenta sed et chronographi Ordinis communi consensu, silentium supplentes documentorum ante an. 1534 (quae hodie sunt nobis nota), non obscure eamdem veritatem tradunt, nos edocentes: Reformationis capuccinæ initiatores a principio Regulam ad litteram observare toto corde intendisse.

Referunt enim quomodo Matthaeus a Bascio a Clemente VII personaliter postulaverit facultatem observandi Regulam ad litteram, et quomodo ipse Pontifex ad Matthei preces saepe hoc responsum praebuit: « Intendimus plane, ut Regula observetur secundum litteram sicut a Christo data est S. Francisco » (2).

Non solum Matthaeus a Bascio, sed et ipse Ludovicus a Fossonbrone eandem petitionem fecit Pontifici Clementi VII, ut Bernardinus a Colpetrazzo refert (3).

Ex testimonio unanimi chronographorum Ordinis liquet Fratres Capuccinos contendisse ab ipso Reformationis exordio Regulam ad litteram observare. Quonam autem sensu verba « ad

(1) Secundum L. Waddingum, *Annales Minorum*, t. XVI, p. 381, LXXV, (qui illud refert acceptum e Registro Generali Cismontanorum, f. 126) et etiam iuxta BC, t. I, p. 11, hoc breve fuit datum die 9 aprilis, tamen P. Ed. Alenconensis, priori sententia retractata, pro certo tenet illud fuisse posterius scriptum, corrigens ita L. Waddingum, qui in die brevibus assignando non semel in errorem delabitur. Cf. EDUARDUS ALENCONIENSIS, *op. cit.*, p. 119. Novi Editores operis L. Waddingi nihil in re addunt.

(2) IOANNES DE TERRANOVA, *De origine Fr. Min. S. Francisci Capuccinorum*, in AO, 1907, t. XXXIII, p. 13; MARIUS A MERCATO SARACENO, *Relationes de origine Ord. Min. Capuccinorum*, p. 8, 31, 175; BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *Historia Ord. Fr. Min. Capuccinorum*, lib. I, p. 113-14: « Io (ait Matthaeus a Bascio) desideroso, come buon figliolo di San Francesco di osservar la Regola a lettera... son venuto a Vostra Santità acciò me ne date licenza di poter' osservar la Regola a lettera... Respose Sua Santità: Così è la volontà nostra e nostra intentione che la Regola si osservi a lettera secondo il voler del Nostro Signor Gesù Christo e di San Francesco ». Cf. etiam RUFINO DA SIENA, in *L'Ital. Francescana*, 1926, t. I, p. 115.

(3) *Op. cit.*, lib. I, p. 186.

litteram » sint intelligenda, documenta pontificia haud obscure declarant (1).

C. — *Fr. Capuccinorum conditio comparate
ad Testamentum S. Fundatoris*

9. — Testamenti S. Francisci vim obligatoriam non pauci in Ordine Minoritico inde a saeculo XIII propugnarunt praesertim sic dicti Spirituales, qui Regulam et Testamentum substantialiter idem declarantes, eamdem obligandi vim ac Regulae tribuebant Testamento (2). Fr. Capuccini, ut videtur, hac prima periodo Spiritualium placitis libentius adhaerebant.

Verum quidem est nihil circa observantiam et vim obligatoriam Testimenti diserte constitutum inveniri in documentis anno 1535 prioribus et officialibus, existimamus nibilominus posse demonstrari Testamentum ab initio Reformationis nostrae observari atque eamdem illi attribui vim obligatoriam, ac Regulae.

Constat enim ex diversis chronographorum testimoniosis Testamentum considerari tamquam stabile fundamentum ad perfectam Regulae observantiam obtinendam, inde a Reformationis ortu.

Ipse Bernardinus a Colpetrazzo, diversa referens fundamenta ab illis initiatoribus apposita ad « pulchram et sanctam Capuccinorum Reformationem » extruendam, recenset primo loco observantiam Testimenti (3), nam impossibile iudicabatur, ait, in priscorum sententia Patrum perfecte velle Regulam observare, sine simultanea et perfecta Testimenti observantia; ipsum est enim Regulae glossa et declaratio omnibus aliis claritate et pulchritudine antecellens (4).

(1) Hoc notare volumus, quia in documentis posterioribus verba illa « Regulam ad litteram » observare diversam significationem assununt, ut videbimus paulo infra.

(2) « Dicebat etiam Joannes (a Parma) quod Testamentum et Regula substantialiter idem sunt ». Cf. ANGELUS CLARENUS, *Historia tribulationum Ord. Min.*, in *Archiv für Litteratur und Kinchengeschichte des Mittelalters*, t. II, p. 274 ; H. HOLZAFFEL, *op. cit.*, p. 37, 51 ; P. CUTHBERT, *op. cit.*, 202 ; P. GRATIEN, *op. cit.*, p. 405-408.

(3) « Di più presono per sodo fondamento, per la perfetta osservanza della Regola, che si dovesse osservare il Testamento del nostro Serafico Padre ». BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 5 ; RUFINO DA SIENA, in *L'Ital. Franc.*, 1926, t. I, p. 34 ; 1927, t. II, p. 24.

(4) « Il Venerabile Padre Fra Francesco Titelmano, dottissimo et santo, con-

Testamenti observantiam dicere «Reformationis nostrae primum fundamentum» idem est ac illam declarare obligatoriam; Testamenti observantiam dicere «quid absolute necessarium ad perfectam Regulae impletionem» est in eadem obligationis linea Regulam et Testamentum collocare, si perfecte Regulam observare satagitur, quod quidem absque dubio primi Fratres Capucini intendebant.

Forsitan non omnes modo expositis plene acquiescent; ex dictis tamen satis hoc constare videtur: Seraphici Patris Testamentum in Reformatione nostra illis primis temporibus observari modo quidem obligatorio, proinde illud considerari deberi tamquam legale monumentum ex praeterito retentum.

*D. — Conditio Fratrum Capuccinorum comparate
ad pontificias Regulae declarationes.*

10. — Regulam Seraphicam, sicut aliorum Ordinum Regulas, authentice interpretari ad Summos Pontifices spectat, qui de facto illam pluries interpretati sunt; tamen non omnes pontificiae declarationes sunt eiusdem generis; aliae sunt declarativae, i. e. planum Regulae sensum, iuxta Seraphici Patris mentem, explicantes, aliae vero sunt relaxativae, scilicet quae privilegia vel dispensationes circa Regulae praecepta concedunt (1).

Ex pontificiis documentis paulo supra memoratis constat Capuccinos lapsu temporis huius primae periodi nullam pontificiam Regulae declarationem adscripsisse iuri suo, nec mere declarativam, nec, potiori ratione, relaxativam; ipsis Regulam conservant ad unguem, iuxta rigorem sensus litteralis observandam, cum in eorum sententia quaevis Regulae declaratio, praeter discrepantiam, quam ferebat contra mentem S. Fundatoris in Testamento expressam, aliqualem insuper includebat mitigationem (2).

firmò l'opinione di quei primi Padri, affirmando che era impossibile osservar perfectamente la Regola, senza abbracciare per guida e per norma il Testamento del nostro Serafico Padre ». *Loc. cit.*, p. 5. P. GIUSEPPE DA MONTEROTONDO, *Gli inizi dell'Ordine Cappuccino*, p. 187.

(1) Cf. ALBERTUS A BULSANO, *op. cit.*, n. 6, p. 24. Praecipuas declarationes pontificias enumerabimus. Inter expositiones relaxativas recensentur v. gr. Lit. INNOCENTII IV *Ordinem vestrum* (14 nov. 1245), in BC, t. VI, p. 22; Breve *Ad Statum MARTINI V* (23 august. 1430), in BF, t. VII, p. 739; et aliae. Cf. *Mon. ad Const.*, p. 31.

(2) Cf. *Testamentum*, p. 82. P. Eduardus Alenconiensis asserit quod initiatores

Reformatio quoque nostra a fortiori non acceptat alia monumenta pontificia, ad ius commune non pertinentia, praesertim nonnulla privilegia in materia paupertatis a Pontificibus concessa. A fortiori, dico, quia si non recipiuntur aurea pontificia documenta, Regulæ declarativa, ut Decretales Nicolai III et Clementis V, multo minus monumenta illa et privilegia recipi perentur, quae Regulæ puritati sunt contraria. In legislatione sequentis periodi Ordo noster renuntiat in perpetuum omnibus privilegiis, licet in minimis Regulam relaxantibus, et non silentio est praetereundum, quod Ordo in periodo sequenti adauget et magis in sensu iuridico constringit suas relationes cum praetorito tempore (1).

E. — *Conditio Fratrum Capuccinorum comparate ad constitutiones et decisiones capitulares in Observantia vim habentes*

11. — Plura, quae ad Ordinis gubernationem attinent, ad caeremonias regulares, et similia, Fratres Capuccini mutuati sunt ex familia franciscali de Observantia, ex qua proveniebant, praesertim ea, quae vi traditionalis consuetudinis in Ordine Franciscano vigebant.

Constitutiones Albacinae (1529), hoc non obscure indicant his verbis: « Et acciochè tutti li fratelli attendano uniformemente a questo, che le presenti promulgano, non intendo per questo instituire nuova Regola; ne che si muti nuovo modo di vivere » (2). Legislatores, ut palam hic asseritur, non ambiunt nec novam Regulam constituere, nec penitus vivendi modum, hac-

Reformationis Capuccinae sibi proposuerant: « Regulam pure et plene iuxta eius litteram et declarationes Nicolai III et Clementis V observare ». Cf. *Primigeniae legislationis textus*, p. 10. Benemeritus auctor, et accuratissimus rerum historicarum Familiae nostrae investigator, non videtur apte rem exposuisse. Res ista, sub iuridico aspectu magni momenti, virum historicum effugit, et iuridicam Capuccinorum conditionem in casu identificavit cum illa assumpta a non paucis Observantiae professoribus, sicuti describitur in bulla Clement. VII, *In Suprema militantis* (16 nov. 1532), unde P. Ednardus allata verba sumpsit. Cf. L. WADDINGUS, *Annales Minorum*, t. XVI, p. 328, LXXV.

(1) Privilegia non pauca in materia paupertatis invenies apud A. CASARUBIOS-SORBO, *op. cit.*, verba: paupertas, bona, commutare, possessiones, haereditas, legata, dare, declarare, aedificare.

(2) Cf. *Const. 1529*, n. 1; *Collectio authen. Ord. et decis. capitul. general.*, in A O, t. V, p. 13, not. I; GIUSEPPE DA MONTEROTONDO, *op. cit.*, p. 24.

tenus habitum, immutare. Ad lucem tamen documentorum non possumus determinare quousque haec iuris receptio protrahatur. Quaestio in tota sua amplitudine sumpta vagat extra scopum laboris nostri, nec in praesens nostra interest.

Iuris receptio, quod ad paupertatem referebatur, mensuranda est iuxta principia in Ordine Capuccino hoc tempore indubitanter admissa, i. e. Regulam observare ad litteram; renuntiare omnibus pontificiis declarationibus. Si enim valorem horum principiorum et significationem bene perpendimus, nihil coget ad admittendum Capuccinos, qui propter maioris puritatis in observantia Regulae, austeritatis et perfectionis studium, pretiosa documenta pontificia, Regulae mere interpretativa, reiiciebant, adscripsisse iuri suo eam Constitutionum Fratrum Observantiae partem, quae Regulae obscuriora in paupertatis materia explicabat, aut defectus normis legalibus supplebat. Videtur ergo, hac facta consideratione, concludi posse Capuccinos in materia paupertatis nihil retinuisse ex Constitutionibus et decisionibus capitularibus in Observantia vim habentibus. In paupertatis materia, ut ex documentis luculenter apparent, Regulae et Testamento S. Fundatoris unice adhaerent (1).

Non parum nostram roborat conclusionem et disponit ad huiusmodi iuris receptionem arctandam, consideratio eorum, quae de Ludovico a Fossombrone scripsit chronographus coaetaneus, Bernardinus a Colpetrazzo. Post Matthaei a Bascio renuntiationem Vicariae Generalis, paulo nempe post eius electionem (1529) factam, Ludovicus, Vicarius Generalis renuntiatus, Ordinis gubernacula usque ad annum 1535 solus retinuit, praesertim post obitum Pauli Clodiensis (1531), qui fuerat Definitor electus in capitulo Albacinae (2). Matthias Salodiensis non sine fundamento suspicatur Ludovicum aliquas additiones ad Constitutiones Al-

(1) Nimis absolute videtur asserere P. Eduardus Alenconiensis Capuccinos usque ad capitulum Albacinae (1529) observasse Constitutiones in Observantia vigentes. Cf. *Primigeniae legislationis textus*, p. 5.

(2) Post Pauli a Clodia obitum unus tantum Definitor remanebat, Angelus a Tiferno (S. Angelo in Vado), hic tamen nec minimam videtur habuisse partem in Ordinis negotiis, iuxta Boverium, humillimam absconditamque vitam agens in sua provincia Picena. Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, an. 1569, p. 690, n. XXX; EDUARDUS ALENCONIENSIS *Primigeniae legislat. textus*, p. 9, not. 2. «Ludovicus, scribit Boverius, solus absque ullo Definitorum consilio pro libito religionem administrabat». *Annales*, t. I, an. 1535, p. 199, n. XIII.

bacinae propria fecisse auctoritate (1). Itaque totus Ordo vixit hoc tempore sub influxu auctoritatis et ideologiae Ludovici, qui autocratice illum moderabatur (2); sed Ludovicus, secundum Bernardini a Colpetrazzo sententiam, optabat omnem coniunctionem cum praeterito legali Observantiae penitus dirimere: «Ludovico vuoleva, in tutto et per tutto staccarsi dal corpo della Religione, nè vuoleva, che nel vestire nè in alcuna cosa fussero conforme alli altri che vivono sotto il medesimo standardo » (3). Cupiebat vitam illam instaurare simplicem, austerrissimam, pauperissimam factam a primis Franciscalibus, qualiter in *Legenda trium Sociorum* describitur (4); maximo illi odio erant, quas coerimonias nominabat (5), sub quo nomine complectebatur spartiosos habere conventus, studia erigere, confessiones audire, musicam addiscere et similia (6).

Ex dictis tamen inferendum non est Fratres Capuccinos toto hoc tempore nullum Regulae interpretationis canonem habuisse, cum Regula ita observare sit practice impossibile; sed praeter Testamentum, verba et facta ipsius Patriarchae Seraphici tamquam unicum et verum canonem interpretativum Regulae considerant (7).

Ex hucusque relatis fluit conclusio sequens:

Ex monumentis iuridicis ad seraphicam paupertatem directe spectantibus et nostrae Reformationi anterioribus, Fratres Capuccini tantummodo cum Regula retinent Testamentum Fundatoris; cum his duobus elementis et cum iure ab ipsa Reformatione noviter constituto exstruendum est iuridicum suae paupertatis aedificium.

(1) Cf. *Historia Capuccina*, t. I, p. 146; EDUARDUS ALENCONIENSIS, *De pri-mordiis*, p. 63.

(2) Cf. P. CUTHBERT, *op. cit.*, p. 55.

(3) *Op. cit.*, lib. I, p. 373.

(4) BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *loc. cit.*, p. 258.

(5) *Ibid.*, p. 378.

(6) *Ibid.*, p. 392-393.

(7) IDEM, *op. cit.*, lib. III, p. 4; «alla mensa, dopo la lettione delle Scritture Sacre, poco altro si leggeva che le cose del Padre S. Francesco e della Religione: di donde cavarono la forma e il modo di vivere». Cf. P. CUTHBERT, *op. cit.*, p. 94; P. GRATIEN, *op. cit.*, p. 407, ubi eamdem esse declarat Spiritualium conditionem.

Art. 2. — IUS NOVUM FRATRIBUS CAPUCCINIS PROPRIUM

12. — Anno 1529 ineunte (1), cum iam plures novae Reformationi Fratrum Capuccinorum se adiunxerant socii, opportunum iudicatum fuit congregare capitulum fratrum in hunc duplcam scopum; eligendi nempe ad iuris tenorem Reformationis superiores, et condendi nonnulla statuta, quae organisationem aliquam Reformationi conferrent simulque eius vitam ordinarent (2).

Huiusmodi statuta e loco celebrationis capituli Constitutiones Albacinae, seu Albacinae nuncupantur (3).

A. — *De Constitutionum textu.*

13. — Paulus Clodiensis (Chioggia) in capitulo Definitor electus, ipsomet capitulo praecipiente, statuta condita lingua latina exarabat (4). Iuxta sententiam historiae peritorum statuta Albacinae etiam in vulgarem sermonem ad usum simplicium fuerunt translata (5).

(1) Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, an. 1529, p. 113, III. Marius a Mercato Saraceno (*Relationes* p. 243) assignat capituli celebrationem anno 1528, sed minus exacte, ut videtur.

(2) BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. I, p. 243: « Noi ci siamo ragunati per far' il nostro Capitolo, nel qual eleggeremo il nostro P. Generale, faremo quei puochi Guardiani, che noi potremo, e daremo qualche sesto alla nostra Congregatione », ita loquebatur Ludovicus ad Capitulares. MATTHIAS SALODIENSIS: « Discussero et risolvero la maniera del vivere, che havevano a tenere ». *Op. cit.*, t. I, p. 142. Cf. P. EDUARDUS ALENCONIENSIS, *De primordiis*, p. 62-63.

(3) Z. Boverius vult Ludovicum a Clemente VII simul cum bulla mandatum accepisse capitulum primo tempore congregandi. Cf. *Annales*, t. I, an. 1529, p. 119, II. P. EDUARDUS ALENCONIENSIS (*De primordiis*, p. 62), quem secutus est P. AMEDEUS A VARAZZE (*L'Ordine dei Frati Minori Cappuccini*, p. 51), de hac Boverii assertione dubitans, illam in oppositionem iudicat cum narratione a Bernardino a Colpetrazzo tradita (*op. cit.*, lib. I, p. 242). In veritatis honorem et Annalista vin dicationem, cuius non sunt multiplicanda peccata, dicendum est Bernardinum a Colpetrazzo non semel scripsisse, quod Annalista redarguitur, nempe capitulum Albacinae ex praescripto a Clemente VII facto Ludovico esse congregatum. Cf. *op. cit.*, lib. I, p. 239, 242.

(4) MARIUS A MERCATO SARACENO, *op. cit.*, p. 245; MATTHIAS SALODIENSIS, *op. cit.*, t. I, p. 142.

(5) Cf. P. EDUARDUS ALENCONIENSIS, *De primordiis*, p. 63; IDEM, *Primigeniae legislationis textus*, p. 8; *Le prime Costituzioni*, p. 8; BURCARDUS A WOLFEN SCHIESSEN, *De influxu legislationis Camaldulensium in Ordinem Capuccinorum*, in *Col*

Primaeva contextio latina hucusque manet ignota, sed duplex Constitutionum retinetur textus: textus italicus conservatus in *Historia Capuccina* Matthiae Salodiensis (post an. 1588) et textus latinus, versio nempe ab idiomate italico in latinum a Boverio exarata, quae invenitur in *Annales* ad ann. 1529, XV-LXXXII, et saepe a textu italico discrepat, licet Annalista de versionis fidelitate protestetur (1).

De textu hodie cognito haec scribebat P. Eduardus: «Cer-
tum affirmare non ausim textum illarum Constitutionum qui
ad nos pervenit tunc in ea forma scriptum fuisse; sed earum
substantia et praecepta primis Patribus nostris indubie tri-
buenda sunt » (2).

Nos textu utimur italico qualiter conservatus est a Matthiae Solodiensi et hisce temporibus publicatus Romae an. 1913 (3). Hic Constitutionum textus ab omnibus ut magis authenticus iudicatur, immo dum aliqui asserunt textum italicum Matthiae Solodiensis versionem esse ab ipso factam ex textu latino Pauli Clodiensis; alii, argumentis philologicis innixi, propugnare co-
nantur esse versionem illam primaevam italice ad simplicium usum confectam (4).

B. — *Characteres iuridici Constitutionum Albacinae.*

14. — Breviter indicare volumus aliquos characteres iuridi- cos Constitutionum Albacinae.

Non invenies in illis codicem vitae perfectum, bene dige-
stum; sed tantum aliqua statuta, non semper praecellenti ordine
disposita, circa paupertatem, circa orationem, circa caeremonias
ecclesiasticas et regulares, et circa solitudinem internam et ex-
ternam (5), quibus statutis urgentioribus Reformationis provide-

lectanea Franciscana, 1930, t. I, p. 74. Haec verba P. Cuthberti (*I Capuccini*, p. 47)
si non falsa, minus exacta dici debent: «Le stesse Costituzioni, non vennero scritte
in latino elegante, ma nell'italiano parlato dal popolo», nam de scriptura latina
certo constat, italica versio, ut res probabilis, admittitur.

(1) *Ibidem*, t. I, ann. 1529, 117, XIV.

(2) *De primordiis*, p. 63.

(3) *Le prime Costituzioni dei Frati Minori Cappuccini di S. Francesco*, Roma, 1913.

(4) Cf. *Le prime Costituzioni*, p. 68; AMEDEO DA VARAZZE, *op. cit.*, p. 53.

(5) Claudius Bituricensis ad haec quatuor capita Constitutiones reducit. Cf
Breviarium chronologicum, p. 11.

batur necessitatibus. Hae Constitutiones fuerunt veluti schema futurarum Ordinis constitutionum ; in illis lineamenta proferuntur fundamentalia, quae in futurum immutabiliter asservantur ; quae quidem lineamenta physiognomiam Ordini tribuerunt (1). Insuper quamvis textus adservatus Constitutionum legislatorem perfectum non ostendant, nihilominus propter halitum seraphicum, quem afflant, sunt vere dignae magnificis encomiis, quibus illas prisci chronographi extulerunt (2), et omnimoda consideratione nostra et studio quia fuerunt fundamentum immutabile, substantia, « il seminario delle Costituzioni Capucine », sicut eleganter et significative scripsit Matthias Salodiensis (3).

Inter alios iuridicos harum Constitutionum characteres veluti praecipuus recensendus est ille, vi cuius Constitutiones sunt leges mere poenales. Naturam legis poenalis Constitutiones Fr. Capuccinorum ab anno 1536 ad nostra usque tempora evidenter induunt (4). Ut paulo infra dicturi sumus, talis character ad primas Albacinae Constitutiones potest quoque, ut videtur, extendi. Et revera, in harum Constitutionum prooemio scribitur : « nè ancora intendo di obligare alcuno dei fratelli al peccato mortale, contravenendo alle cose infrascritte » (5) ; sed quod hic expresse de peccato mortali dicitur, ad quodlibet peccatum, etiam veniale, extendi debet, ut ostendunt prisorum chronographorum testimonia. Bernardinus a Colpetrazzo Matthaeum a Bascio, canonicam fratrum visitationem peragentem, ita nobis disserentem exhibit : « Habbiamo fatte le nostre Constituzioni, osservatele non per paura della pena, ma per amor di Dio » (6).

Ipsa Ordinis in hac re per quatuor saecula immutata positio verba minus clara primarum Constitutionum lumine perfundit.

(1) Cf. L. PASTOR, *Storia dei Papi*, t. IV, p. 589 : « Nella stessa assemblea (Albacinae) si gettarono le linee principali delle costituzioni del nuovo istituto » ; GIUSEPPE DA MONTEROTONDO, *op. cit.*, p. 23 : « un primo abbozzo di costituzioni ».

(2) Cf. BERNARDINUS COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. I, p. 248, 288 ; MARIUS A MERCATO SARACENO, *op. cit.*, 246 ; Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, an. 1529, p. 117, XIV.

(3) Cf. *Op. cit.*, t. I, p. 142.

(4) Cf. *Const. 1536*, n. 145 ; *Constitutiones FF. Minor. Capuccinorum*, n. 248, Romae, 1926.

(5) Cf. *Const. 1529*, n. 1.

(6) *Op. cit.*, lib. I, p. 252. De Constitutionibus sub aspectu mystico et idealis cf. P. CUTHERBERT, *op. cit.*, p. 199-203.

Nec verbum, nec insinuationem ullam invenimus in auctoribus nostris circa Constitutionum Albaciniensium apostolicam approbationem, verbis tamen consideratis in bulla *Religionis zelus* et in Const. *Inter multiplices* (3 sept. 1529) contentis (1), asserendum videtur primas Constitutiones Fr. Capuccinorum approbatione apostolica indirecta sed aequo principaliter concessa, esse ab anno 1529 roboratas.

**Art. 3. — DE INFLUXU ALIARUM LEGISLATIONUM
IN PRIMAEVAS CONSTITUTIONES CAPUCCINAS**

15. — « Longe falleretur, ait Eduardus Alenconiensis, qui crederet illas ordinationes (Albacinae) absolute novas praeceptiones vitae franciscalis tulisse » (2).

Disserere vero de aliarum legislationum influxu in statuta Albaciniensia et in posteriores Ordinis constitutiones est labor vagans extra nostri studii limites et scopum. Ne tamen pretiosa pereant fragmenta hie aliqua notare utile duximus, summatim vero et per modum conclusionis:

1) Aliqualis influxus legislationis Camaldulensium in constitutiones capuccinas admittendus est, et haud difficulter explicatur. Paulus Justinianus, Camaldulensium Reformator et Major, mortuus anno 1528, hanc observationem fecerat: « Dalle pessi stati poi questi due primi sequaci di Matteo da Bascio, (Raphael et Ludovicus a Fossombrone) per alcun tempo tra gli eremiti della compagnia di San Romualdo, vuolsi che a Capucini ne provenissero alcune costumanze che sono proprie anche di questi eremiti, come sarebbero l'uso di portare la barba, il costume di edificare i loro conventi nelle solitudini ed il rito di salmeggiare in coro senza canto » (3).

Influxus Camaldulensium levis est et ad res exteriores tantummodo extenditur.

2) Comparatione critica instituta Constitutionum eun *Li-*

(1) B C, t. I, p. 6.

(2) *Primigeniae legislationis textus*, p. 7.

(3) Cf. FIORI, *Vita del B. Paolo Giustiniani*, p. 198, Roma, 1724; BURCARDUS a WOLFENSCIESSEN, *De influxu legislationis Camaldulensium in Orāinem Capuccinorum*, in *Collect. Francisc.*, 1930, t. I, p. 59-78; E. ALENCONIENSIS, *De commemoratione Ludovici et Raphaelis a Forosempronio apud Eremitas Camaldulenses*, in A O, 1909, t. XXV, p. 249-252.

bro Conformatum, haud difficile est demonstrare in pluribus, praesertim autem quoad indolem generalem, scil. conformitatem Christo et S. Francisco ab hoc opere pendere (1).

Haec cognita sunt, et discussa fuere, ut vidimus.

Quae nunc innuemus, hucusque penitus ignota manserunt, etsi aliqui de his suspicionem haberent.

3) Haud paucae neque tantum externae similitudines, sed quae veram redolent dependentiam, inveniuntur inter Constitutiones Fratrum Capuccinorum primigenias et Statuta composita a Ioanne de la Puebla pro Custodia Angelorum (Hispaniae) in fine seculi XV (2).

4) Eamdem similitudinem et aliquando identitatem reperies etiam inter praedictas Constitutiones Capuccinas et Statuta quae Ioannes Guadalupensis praescripsit pro Provincia S. Gabrielis in Hispania (3).

5) In plurimis similitudo, in aliquibus identitas invenitur quoque inter Capuccinas Constitutiones et Statuta composita a Francisco de Angelis (Quiñones) anni 1523 pro Recollectis Hispaniae (4).

Aliqua ex praecipuis capita huius similitudinis vel identitatis in tribus statutis supradictis collecta per modum unius recensebimus; reliqua ad studium ulterius amandantes.

Similitudines vel identitates referuntur:

- a) ad studium observandi Regulam ad litteram, sine glossis, sine declarationibus et privilegiis pontificiis;
- b) ad characterem mere poenalem Costitutionum;
- c) ad receptionem pecuniariarum eleemosynarum;
- d) ad receptionem eleemosynarum pro missis;
- e) ad limitationem mendicationis ordinariae in qualitate;

(1) Cf. TEODORICO DA CASTEL S. PIETRO, O.F.M. CAP., II «Liber Conformatum» e le costituzioni dei FF. MM. Capuccini, in *L'Ital. Franc.*, 1929, t. IV, p. 407-427.

(2) Cf. EUSEBIO GONZALEZ DE TORRES, *Chronica Seraphica*, part. VII, p. 415-416, Madrid, 1729; L. WADDINGUS, *Annales Minorum*, t. XV, p. 53, LVI; H. HOLZAPFEL, *op. cit.*, p. 124; *Archivo Ibero Americano*, t. III, p. 115-116.

(3) Cf. JUAN DE SAN ANTONIO, *Primacia fundamental del Fr. P. Fray Juan de Guadalupe. Reflexión tercera*, p. 41-44, Madrid 1727; Cf. etiam LORENZO PÉREZ, *La Provincia de S. José fundada por S. Pedro de Alcántara*, in *Archivo Ibero-American*, t. XVII, p. 145 et praesertim 155-159; L. WADDINGUS, *Annales Minorum*, t. XV, p. 225, XXV.

(4) Cf. L. WADDINGUS, *Annales Minorum*, t. XVI, p. 168-171, XXVI-XXX.

- f) ad provisionum interdictum ;
- g) ad paupertatem in lectulo et in sacra supellectili ;
- h) ad vilitatem habitus, calceamentorum paupertatem et alia.

Ne mireris hanc triplicem similitudinem quia facile explicatur ubi scitur tria haec statutorum genera mutuo dependere et arcta inter se devinciri necessitudine.

Ioannes a Puebla equidem magister fuit Ioannis Guadalupensis (1), et cardinalis Quiñones fuit alumnus Congregationis Ioannis de la Puebla (2).

Statuta cardinalis Francisci Quiñones erant certe in Italia agnita. Cum ipse Generalis Fratrum de Observantia fuit nominatus, ex Hispania veniens in Italiam, domibus recollectionis Italiae concessit anno 1526 eadem statuta, quae pro Recollectis Hispanis anno 1523 composuerat; immo quod ipsis Capuccinis talia statuta non erant ignota ex quodam facto relato a Bernardino a Colpetrazzo merito deducitur (3).

Et haec dixisse sufficiat.

(1) Cf. L. WADDINGUS, *Annales Minorum*, t. XV, 225 XXV; H. HOLZAPFEL, *op. cit.*, p. 125.

(2) Cf. L. WADDINGUS, *Annales Minorum*, t. XVI, 115, I-III; H. HOLZAPFEL, *op. cit.*, p. 272.

(3) Cf. *op. cit.*, lib. II, p. 428. Cf. D. DE GUBERNATIS, *Chronologia historico-legalis*, t. I, p. 241 sq.; H. HOLZAPFEL, *op. cit.*, p. 300.

CAPUT II

DE IURE PROPRIO FRATRUM CAPUCCINORUM AB ANNO 1536 AD AN. 1638

Duo erunt in hoc capite examinanda; *a)* ius novum Reformationis proprium, seu fontes iuris a Reformatione nostra no-
viter hoc temporis decursu constituti, praecipue Constitutiones,
vel melius iteratae ac recognitae Constitutionum editiones quae
ab anno 1536 usque ad annum 1638 factae sunt; *b)* ius reten-
tum, seu mutata Ordinis conditio in relatione ad ius, quod ex
periodo praecapuccina retinetur, eo nempe fine ut totum ius
Fr. Capuccinorum proprium agnoscamus.

Art. 1. — IUS NOVUM REFORMATIONIS PROPRIUM

A. — *Diversae Ordinis Constitutiones.*

a) Constitutiones anni 1536.

16. — Secundi capituli generalis celebratio (1535-1536) (1),
Romae in loco Sanctae Euphemiae, ob Constitutionum revisionem
in eo peractam novam in historia Ordinis nostri signat aetatem.
Haec prima Constitutionum revisio, quam fortassis exactius no-
vam compositionem appellaveris, ab historiographis nostris consi-
deratur tanquam factum summi momenti, a quo potest et de-
bet repeti vera Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum insti-

(1) Hodie certo constat, et ita veteres chronographi corrigantur, hoc capi-
tulum primum fuisse celebratum mense novembri 1535, et iteratum mense sep-
tembri 1536. Cf. A. O., t. XLIII, p. 285, et seq.; EDUARDUS ALENCONIENSIS,
Primigeniae legislationis textus, p. 10, 15-17; et non sunt amplius consideranda, quae
ipse scripsit in *Tribulationes Ord. Fr. Min. Capuccinorum*, p. 9.

tutio, nam istae Constitutiones nostrae Reformationi propriam, quam adhuc retinet, formam tribuerunt (1).

Cum de eventu agatur maximi momenti in historia legali Ordinis nostri, operae pretium duximus super hac re paulo diutius immorari.

Constitutiones an. 1536 stabile iecerunt fundamentum subsequentis Ordinis legislationis. Multa dubia et anxietates quae tunc temporis fratrum conscientias agitabant, solutionem definitivam, practicam, et theoreticam invenerunt; quae prius confuse scripta fuere in Constitutionis Albacinae, et plurima, quae nunc primo fuerunt adiuncta et iuxta duodecim Regulae capita distincta, eo disposuerunt ordine, ut merito asserant chronographi: « Congregatio quae ad haec usque tempora similis erat materiarum congerie ad aedificium exstruendum, his Constitutionibus venustam ac ordinatam religiosae reipublicae faciem consequitur » (2).

Has Constitutiones appellavimus stabile fundamentum et exemplar totius legislationis subsequentis; illis de facto initur periodus internae Ordinis stabilitatis (3), totaque legislatio sequens, etiam hodie vigens, in paucis ac accidentalibus ab ea differt (4) uti facile potest comprobari sola textuum attenta comparatione. Nihilominus, ut modo dicebamus, Constitutiones an. 1536, quas chronographi non semel ampliationem nuncupant illarum Albacinae (5), revera cum Albacinensibus in substantialibus conveniunt, saepe litteram, semper et in omnibus earum retinent spiritum.

Constitutiones an. 1536 formulan quoque invenerunt definitivam pro nonnullis dubiis et incertis, ut diserte confitetur Bernardinus a Colpetrazzo, priscorum temporum testis ocularis: « Ci

(1) Cf. EDUARDUS ALENCONIENSIS, *Primigeniae legislationis textus*, p. 4.

(2) Cf. MATTHIAS SALODIENSIS, *op. cit.*, t. II, p. 24; Z. BOYERIUS, *Annales*, t. I, ann. 1535, p. 204, XXVI.

(3) Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 124: Constitutionibus an. 1536 « fermò il chiodo la nostra Congregatione ».

(4) Cf. MARIUS A MERCATO SARACENO, *Relationes*, p. 246; « ma quello che è d'importanza et essentiale (in Constit. 1536), si è tolto da quei primi ordini (Albacinae) ». CLAUDIO BITURICENSIS, *op. cit.*, p. 23; *Litterae encycliche Revni P. Ministri Generalis Melchioris a Benisa*, 1 jan 1928, A O, 1928, t. XLIV, p. 7.

(5) Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. I, p. 248 sq. 288; MATTHIAS SALODIENSIS, *op. cit.*, t. II, p. 4.

furono fatte le Constitutioni, et altri belli ordini, come si dirà, e fu fermata talmente la Congregatione, che da quell'impoi fu tolto dal cuor de' Frati ogni dubbio » (1).

Denique veluti singularis omnino harum Constitutionum character, liceat hic significare, quomodo Constitutiones nostrae praesertim ab anno 1536 ita sint dispositae, ut potius quam simplex et digesta articulorum series, vera videantur Capuccinorum vitae apologia. In omni paeceptione duae partes facile discernuntur :

pars motiva, implicite apologetica, in qua rationes, seu motiva ascetico-franciscana exponuntur ;

pars dispositiva immediate sequens ; hoc modo, arte miranda, siccitatatem omnis legis contextioni propriam legislatores eludentes, statutorum codicem in asceticam opellam transfigurare noterunt (2).

17. — Constitutionum an. 1536 textus usque ad nostra tempora ignotus latuit, et iam fere irreperibilis iudicabatur ; non deerant qui tamquam probabilius defenderant textum numquam fuisse typis mandatum (3). Tamen recentius investigationes peractae felicem exitum obtinuerunt siquidem anno 1927 inventus est textus primaevus, iam Neapoli anno 1537 typis mandatus (4).

Constitutiones 1536, sicut et posteriores ceterae huius primi saeculi, italica lingua fuerunt exaratae.

b) *Constitutiones anni 1552.*

18. — Non semel temporis decursu opportunum visum est et necessarium Ordinis Constitutiones recognoscere, eo praeser-

(1) *Ibid.*, p. 381-382.

(2) Cf. EDUARDUS ALENCONIENSIS, *Primigeniae legislationis textus*, p. 17. P. CUTHEBERT, *op. cit.*, p. 203, ita scribit de valore et significatione huins nostrorum Constitutionum characteris : « Per quanto siano saggi e pratici gli statuti positivi, il fior fiore nelle Costituzioni cappuccine però sta nelle loro dichiarazioni di fede e nelle loro sublimi esortazioni a vivere conforme lo spirito. E' propriamente in ciò che consiste la legislazione cappuccina, la quale può essere appresa soltanto mediante una fede viva e praticata sotto l'influsso di un libero e sincero amore per l'ideale mistico di cui essa è una rivelazione ».

(3) Cf. *Mon. ad Const.*, p. 15.

(4) Cf. *L'Ital. Franc.*, 1927, t. II, p. 361-362.

tim fine, ut maturae conclusiones experientiae in illis recipi-
rentur, vel etiam ut pontificiis decretis et capitulorum generalium
decisionibus accommodarentur.

Recognitio prima in capitulo generali anno 1552 Romae
habito fuit peracta.

Duplex in hac recognitione intendebatur scopus: Constitutiones
nempe anni 1536 in aliquibus *corriger*, in aliquibus vero
perficere (1). Et revera, si textus conferantur, *omissiones* adverti-
mus et *additiones*; hae in capitulis generalibus anno 1552
praecedentibus factae, ad Constitutionum textum nunc incor-
porantur (2).

Harum Constitutionum correctio perfecta fuit etiam animo
mitigandi in aliquibus nimiam austoritatem praecedentium sta-
tutorum (3); sed veritatis amore animadvertisendum est minima
huius mitigationis in materia paupertatis apparere vestigia, in-
novationes in hac re vere evadunt imperceptibles, nec minorem
redolent austoritatem.

Nuper, nempe anno 1927, feliciter inventum est exemplar
editionis Venetiis iam ipso anno 1552 factae (4).

c) *Constitutiones anni 1575.*

19. — Ut nova fieret Constitutionum recognitio, constitutum
fuerat a Ministro Generali cum Definitorio de consensu capi-
tuli generalis Romae anno 1575 celebrati.

Recognitionem iniungebat necessitas aptandi Constitutiones

(1) Ita legitur in prologo: « così anchora è parso al General Capitolo cele-
brato in Roma nell'anno 1552, quelli medesimi statuti (1536) rividere, corregere
et compire ».

(2) Additiones proveniunt ex decisionibus capituli generalis anni 1549. Cf.
Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, ann. 1549, p. 411, II; A O, t. V, p. 74. Iuxta Bo-
verium, *loc. cit.*, ad ann. 1552, nonnulla statuta, quae Vicarius Generalis, Bernar-
dinus Astensis, in provincia Romana observanda praescripscrat, in hoc capitulo
confirmantur, ac generalibus Constitutionibus inseruntur. Ista statuta invenies in
Boverio, l. cit., I-XIX; et in A O, t. V, p. 75-76. Additiones alias et omis-
siones recenset EDUARDUS ALENCONIENSIS, *Primigeniae legislat. textus*, p. 23-24.

(3) Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 9; Z. BOVERIUS,
Annales, t. I, ann. 1529, p. 129, XCII.

(4) Cf. FRANCESCO DA VICENZA, *Scoperta del primo esemplare a stampa delle
Costituzioni dei Minori Cappuccini*, in *L'Ital. Franc.*, 1927, t. II, p. 251-254.

decretis et canonibus Concilii Tridentini (1), immo necessitas inserendi in textu Constitutionum alia pontificia decreta et statuta nonnulla ordinata a capitolis generalibus, praesertim annis 1567 et 1570 habitis (2).

Haec editio impressa fuit Venetiis anno 1577.

d) *Constitutiones anni 1608.*

20. — Ob identicam rationem, scilicet conformandi Constitutiones novis emanatis pontificiis decretis, nova earum editio in capitulo generali Romae 1608 celebrato praescripta fuit. Pariter, in istis Constitutionibus aliqua inseruntur statuta capitulorum generalium antecedentium, praesertim ea quae annis 1596, 1599, 1602 et 1605, sancita sunt (3).

Editio haec Romae 1609 fuit vulgata (4).

e) *Iuridicus Constitutionum character et approbatio.*

21. — Nostrarum Constitutionum legalis natura, de qua minus clare loquuntur Albacinenses, in illis an. 1536 palam exprimitur: sunt leges mere poenales, i. e. ad poenam in ipsis taxatam obligantes, non vero ad culpam, nisi aliunde, ex Regula, iure divino, vel ecclesiastico ad illarum observantiam fratres teneantur; tamen iuxta Constitutionum mentem, illarum violatores, non leviter puniri debent (5); in hoc Constitutiones nostrae om-

(1) Cf. Breve Gregorii XIII *Cum capitulum* (10 maii 1575), in quo Superioribus praecipit «ut ipsum Ordinem iuxta dicti Concilii (Trid.) canones et decreta, ac Ordinis huiusmodi Constitutiones reformare curetis». BC, t. I, p. 35.

(2) Dicitur in prooemio: «Ma perchè nel sacro Concilio Tridentino, e dal Sommo Pontefice, si sono fatti alcuni Decreti, i quali era necessario inserire in queste nostre Ordinationi, è parso al Reverendo Padre Generale... far di nuovo ristampare i medesimi statuti, con quelle aggiunte, che i predetti Decreti del Concilio, et del Sommo Pontefice ricercavano». *Le prime Costituzioni*, p. 38; *Mon. ad Const.*, p. 16.

(3) Cf. *Mon. ad Const.*, p. 17; *Const. 1608*, proemio.

(4) *Constitutioni dei Frati Minori Capuccini di S. Francesco*, Roma, 1609.

(5) «Et quantumque non intendiamo per questa Constitutione obligare li frati a peccato alcuno, niente di meno volemo et ordinamo che li trasgressori di questi siano gravemente puniti». *Const. 1536*, n. 145 et 148; *Const. 1552*, n. 145 et 148; *Const. 1575*, p. 97-98; *Const. 1608*, p. 55. Cf. Cap. Gen. VIII (1552), in quo statuitur: «Serventur quoque Constitutiones nostrae, quae tamen non obli-

nino convenient cum Statutis Recollectorum Hispaniae (1) ; naturam legum mere poenalium hactenus Fratrum Capuccinorum Constitutiones retinent.

In primo capite iam Const. Albacinae roboras fuisse diximus apostolica approbatione a Clemente VII vi litterarum apostolicarum *Inter multiplices* (3 sept. 1529) (2) ; talis approbatio etiam attingit Constitutiones anno 1536 promulgatas, novo veteri approbationi adiecto robore per bullam *Exponi Nobis* (25 aug. 1536), in qua Paulus III Constitutiones laudat, et confirmat Apostolicas litteras *Religionis zelus* a Clemente VII concessas (3).

Sed ipsae Constitutiones anni 1536 testantur se apostolica approbatione munitas (4). De quanam vero ibi agitur approbatione ? En quaestio, hucusque non agitata, cui nec nos ex documentis hodie cognitis possumus idoneam et satisfacentem praebere responsonem ; solutionis difficultas augetur eo quod de hac approbatione silent omnino Constitutiones sequentes an. 1552.

Iuvat nihilominus pauca attingere, ut facilius possit alias quispiam maiorem obscuritati huic lucem afferre.

Indubium est Const. an. 1533 apostolica approbatione roboras fuisse in minuta brevis Pauli III *Cum sicut*, die 29 aprilis an. 1536 (5) ; tamen in litteris expeditis ea quae ad Constitutionum approbationem attinebant, fuerunt penitus abrasa, quare apostolica Constitutionum approbatio revera defuit (6).

Circa verum et historicum sensum verborum Constitutionum, aestimamus quod, attente considerato praesenti investigationum statu, hypotheses fieri possunt, non autem ad quaestionem stricte

gant ad culpam, sed solum ad poenam in eis taxatam ». A O, t. V, p. 75. Addit hoc loco Claudio Bituricensis in *Breviario chronologico*, p. 51 : « quando fuerit praecepta a Superiore ».

(1) Cf. L. WADDINGUS, *Annales Minorum*, t. XVI, 171, XIX.

(2) BC, t. I, p. 6.

(3) BC, t. I, p. 3.

(4) « Et perche le presenti Constitutioni sono state composte con grandissima diligentia et matura deliberatione, et approbate da tutto il nostro Generale Capitulo, et etiam de la Apostolica Sede ». *Const. 1536*, n. 146.

(5) Arch. Vat. Arm. XLI, vol. II, *Minute dei Brevi di Paolo III*, ep. 280, f. 263. Huius minutae textum publicavit Eduard. Alenconiensis in *Tribulat. Ord. Fr. Min. Cap.*, p. 12-13.

(6) BC, t. I, p. 15. Cf. EDUARDUS ALENCONIENSIS, *op. cit.*, p. 14; CUTHBERT, *op. cit.*, p. 105.

potest responderi (1) ; forsitan huius approbationis vestigia reperiri possunt in facultatibus concessis cardinali de Trani, qui Apostolica auctoritate capitulo secundo celebrato mense septembri 1536 praefuit « pro feliciori ipsius capituli directione et successu » (2).

Apostolica Constitutionum approbatio in forma specifica (3) primum concessa fuit ab Urbano VIII per breve *Ex iniuncto Nobis* (23 martii 1638) (4) Constitutionibus hoc ipso anno factis a card. Antonio Barberini, Ordinis nostri alumno et Protectore, et quae quidem ipso praecipiente, Romae lingua latina et italica fuerunt impressae.

Ordo in Constitutionum recognitione et innovatione nullam habuit partem, hac de causa adulteratas videns Constitutiones renuit illas acceptare. P. Generalis voluit illas publicare in provinciis Visitationis tempore, quod maximas turbationes excitavit. « Fere ubique, ait Claudio Bituricensis, fuerunt rejectae et tandem (vix conditae) abrogatae per non usum. Constitutiones ex hoc reformatae in capitulo sequenti 1643, de novo impressae fuerunt et recentiori forma praetermissa, ad antiquiorem formam anni 1608 factam, redibant (5) ».

(1) Nobis haud probabilis videtur hypothesis EDUARDI ALECONIENSIS (cf. *Primigeniae legislationis textus*, in *Liber Memorialis*, p. 430; annot. ad num. 146) : « Huius approbationis Apostolicae nullum reperitur vestigium et de illa silent Constitutiones 1552. Forsan erat tunc in votis? » Et re quidem vera in negotio tanti momenti simplex Ordinis desiderium non videtur esse ratio sufficiens cur legislatores illud in textu authenticō ut veritatem acquisitam proponerent.

Iuvabit forsitan recolere haec quae card. Iulius Antonius S. Severinae Ordinis Protector circa capitulum generale an. 1593 adnotavit : « Da provedersi nel Capitolo generale dei Cappuccini riferito a S. S.tà che le prime e antiche costitutions siano... esposte in un libro; che delle altre fatte se piglino le necessarie e più espidenti e se ne facci un altro libro; che l'una e l'altra siano confermate dalla S. Sede Apostolica ». Cf. *Arch. Vaticano*, Arm. LII, vol. 19, f. 198v.

(2) BC, t. I, p. 21

(3) Cf. *Mon. ad Const.*, p. 18.

(4) En brevis tenor: « Constitutiones praefatas, prout conscriptae iacent, eum omnibus et singulis in illis contentis Apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiiciimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, in iisdem supplentes ». BC, t. I, 96.

(5) Cf. CLAUDIO BITURICENSES, *op. cit.*, p. 276; GIUSEPPE DA MONTERO-

Haec nova editio apostolico roboris praesidio fuit communica denuo ab ipso Urbano VIII decreto *Sacrosanctum Apostolatus* die 19 iunii an. 1643 (1).

B. — *Ordinationes capitulorum generalium.*

22. — Constitutiones sunt iuris Capuccinorum proprii fontes praecipui, non tamen unici; illis enim adnumerandae sunt Ordinationes ac Decisiones promulgatae in capitulis generalibus, quae tantum legifera Ordinis potestate gaudent.

Non minus quam 31 capitula generalia habita fuere in temporis spatio, quod ab anno 1528 ad annum 1638 decurrit; fere in omnibus Ordinationes Capitulares constitutae sunt quarum pars minima, ut supra notabimus, ad textum Constitutionum transiit.

Quae quidem ordinationes vere ac proprie capitulares (2) permagni sunt habitae ad hanc nostram dissertationem conscribendam, nec omnino praetereundae sunt, quum agatur de definienda relatione iuridica Fratrum Minorum Capuccinorum ad ius praecapuccinum circa paupertatem.

Exstat harum Ordinationum ac Decisionum authentica collectio, quae constituit « verum corpus iuris in Capitulis Generalibus rite promulgati » (3), ex qua authentica collectione curabimus testimonia proferenda haurire.

Art. 2. — IUS RETENTUM

Recensione fontium iuris Capuccinorum proprii breviter facta, definiendum nunc venit, qualis fuerit Ordinis respectus ad

TONDO, *op. cit.*, p. 24; EDUARDUS ALECONIENSIS, *Primigeniae legislationis textus*, p. 18. Verba « per non usum » minus exacta videntur; potius esset dicendum Constitutiones an. 1638 approbatione Constitutionum an. 1643 abrogatas esse.

(1) BC, t. I, p. 100.

(2) Quatenus distingui debent a definitorialibus mandatis, declarationibus vel actibus similibus extracapitularibus.

(3) Cf. *Collectio authentica Ordinationum ac Decisionum Capitulorum Generalium Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum edita iussu Reverendissimi P. Fr. Bernardi ab Andermatt*, in AO, t. V, 1889, p. 10. Prius iam P. Venantius a Taurino publicari fecerat *Ordinationes et Decisiones Capitulorum Generalium Ordinis F.F. Min. S. Francisci Capuccinorum*, Romae, 1851, et Appendix, Romae, 1852.

ius praecapuccinum de paupertate. Talis respectus in ipsis iuris fontibus definitur.

A. — *Conditio Fr. Capuccinorum comparete ad seraphicam regulam.*

23. — Quo sensu haec propositio beatum intelligi, supra in capite primo exposuimus. Ea omnia, quae paulo infra in paragragho tertia sunt dicenda, et hic tamquam in proprio loco attingi poterant, ut maiori explicationis perspicuitati provideatur, ad praedictum locum amandamus.

B. — *Conditio Fr. Capuccinorum comparete ad testamentum S. Francisci.*

24. — Constitutiones anni 1536 Testamenti S. Fundatoris observantiam praecipiunt ipsumque accipiunt pro spirituali glossa et Regulae expositione (1); haec decisio, quae prima vice nunc in documentis officialibus expresse appareat, fuit vere capitularis; quod si ex textu Constitutionum non appetet, diserte tamen illud asserit Ioannes a Fano, huius capituli vocalis (2).

Constitutionum praeceptio circa Testamenti observantiam innovatio dici nequit, nam pro certo habemus Testamentum ab ipso Ordinis exordio fuisse in proxim sancte inductum; sed fortassis in observandi modo reperitur innovatio, si perpendantur quae nunc dicenda sunt.

Nicolaus III in Decretali *Exiit*, quae nunc primo in Ordine recipitur, declaraverat Testamentum S. Fundatoris esse omni vi legis destitutum, potius iuxta Pontificem tamquam admonitione paterna debebat considerari (3). De facto tamquam paterna admo-

(1) « Si ordina che da tutti si osservi el Testamento del Padre nostro San Francesco..., et questo acceptiamo per spirituale glossa et expositione de la Regola nostra ». *Const. 1536*, n. 6.

(2) Cf. *Dialogo de la salute*, p. 19: « onde li Cappucini nel loro Capitolo Generale hanno ordinato che il Testamento si osservi »; BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. I, p. 383; AO, 1927, t. XLIII, p. 285; BOVERIUS, *Annales*, t. I, ann. 1535, p. 201, XVIII.

(3) C. 3, V, 12 in VI, c. 1120. Circa hunc articulum Testimenti Decretalis *Exiit* nihil duxit innovandum in doctrina tradita a Gregorio IX in bulla *Quo elongati*. Cf. BC, t. VI, 11.

nitio aestimatur nunc a Capuccinis, ut palam Bernardinus a Colpetrazzo affirmat, dicens: « Ad Testamenti observantiam non tenemur nec vi professionis nostrae, nec vi cuiusdam voti particularis, sed solum vi fraternae admonitionis Seraphici Patriarchae et quia Testamentum ampliori quodam modo intentionem S. Fundatoris circa observantiam Regulae nobis indicat » (1). Ob hanc solam causam eius observantia in Constitutionibus capuccinis praecipitur. Reformatio nostra hoc modo doctrinae a Nicolao III traditae conformatur.

Si ideo Testimenti observantia in Constitutionibus an. 1536 praescribitur, nihil aliud fit, quam in eadem obligationis linea collocare Testamentum, ac ceteras in Constitutionibus comprehensas praescriptiones. Testamentum Fratres Capuccinos obligat quidem, sed ex Constitutionibus tantum et modo quo Constitutiones obligant.

Haec nunc assumpta ratio toto hoc primo saeculo immutabiliter sustinetur (2).

C. — *Conditio Fr. Capuccinorum comparete ad pontificias regulae declarationes.*

25. — Fratum Capuccinorum Ordo, ut vidimus in superiori capite, ab initio Regulam ad litteram, glossis omnibus reiectis et pontificiis Regulae declarationibus, observare satagebat. Constitutiones vero anni 1536 magnam perferunt immutationem illius primaevae deliberationis.

Immutatio, quae Ordini in hac quaestione definitivam tribuit vivendi normam, in eo est, quod pontificiae Regulae declarationes primo admittuntur, sicut singulare, vivum et authenticum Regulae Seraphicae commentarium, simul cum vita sanctissima et doctrina S. Fundatoris (3).

Duo antiquiores Constitutionum textus, nempe annorum 1536 et 1552, de quibusquam declarationibus sit sermo omnino si-

(1) BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 5; GIOVANNI DA FANO, *op. cit.*, p. 19.

(2) Cf. *Const. 1552*, n. 6; *Const. 1575*, p. 40; *Const. 1608*, p. 6.

(3) « Et per singulari, vivo commento dela Regula nostra acceptiamo le dichiaratione de Summi Pontifici et la sanctissima vita, doctrina et exempli dei Padre nostro S. Francesco ». *Const. 1536*, n. 5.

lent (1); nomina Nicolai III et Clementis V primum in Constitutionibus anni 1575 legimus scripta (2), et in subsequentibus Constitutionum editionibus hucusque retinentur; nulla tamen adest ambigendi ratio, quod verba generica textus primaevi referantur ad Decretales *Exitit* Nicolai III (14 aug. 1249) et *Exivi* Clementis V (6 maii 1312), quae inveniuntur in Corpore Iuris et communis doctorum consilio aestimabantur tamquam fundamentales Ordinis leges, verae declarationes Regulae, et praesidia ad illius strictam observantiam firmandam; nequaquam vero ut dispensationes, vel relaxationes (3).

Huius facti duplex est momentum: iuridicum et historico-philosophicum.

Ingens huius facti iuridicum momentum exinde evineitur, quod harum Decretalium receptio secum fert ordinationem iuridicam novam plurim in materia paupertatis. Haec nova ordinatio, si cum illa priorum annorum conferatur, perfectior est, sed etiam magis implicata, nam tales Decretales nova et saepe omnino diversa componunt ratione ea quae ad usum rerum, ad subiectum dominii eorum, quibus utuntur fratres, ad aliquos contractus, ad receptionem legatorum, ad bonorum administrationem vel commutationem, ad figuram iuridicam recursus ad amicos spirituales, etc., spectant. De quibus omnibus suo loco est agendum.

Non attinet ad nos de huius facti momento historico philo-

(1) Cf. *Const. 1536*, n. 5; *Const. 1552*, n. 5.

(2) «Et per singolar vivo commento di essa (Regola) acceptiamo le dichiarazioni di Sommi Pontifici, et specialmente di Nicolao Terzo, et Clemente Quinto». *Const. 1575*, p. 40. Cf. *Const. 1608*, p. 6.

(3) Ioannes a Fano, qui Dialogum suum scribebat post capitulum an. 1535 et ante an. 1539, de duabus his pontificis declarationibus dicit: «Et nota che fra tutte le Dichiarationi due sonno ottime, si per esser poste in corpore juris, et si per esser conforme alla Regola, cioè quella de Nicolao III nel Cap^o. *Exitit* et quella de Clem. 5 nella Clementina *Exivi de Paradiso* et queste appresso li buoni et zelanti frati sonno sempre state in precio». Cf. *Dialogo*, p. 18. Eodem sensu P. HIERONYMUS A POLITIO, *Expositio cum dubiis excussis in Regulam*, Prael. 3, n. 7, p. 38; P. GRATIEN, *op. cit.*, p. 332; H. HOLZAPFEL, *op. cit.*, p. 43; P. CUTHEBERT, *op. cit.*, p. 95. Iam Dominicus de Gubernatis, *Orbis seraphicus*, t. II, p. 567, opportune monuerat quod neque Clemens VII neque Paulus III in *Litteris apostolicis* de illis Decretatibus locuti erant, unde apparet maior rigor apud Capuccinos quam apud fratres strictioris Observantiae in Regulae observantia.

sophico disserere, quod optime P. Cuthbertus pandit, qui sagaci oculo historiam scrutatur (1).

Ut ratio adaequata talis innovationis in proposito illo primaevo circa observationem Regulae agnoscatur, non est silentio praetereundum factum aliquod illustrans innovationem praedictam, et forsitan modo decisivo in illam influens.

Bernardinus nempe Astensis, Reformationis et singulariter Constitutionum an. 1533 inspirator, aliique, inter quos expresse connumerari debet Franciscus Aesinus « viri ambo integerrimi, aequi pii et docti » (2), antequam ad Capuccinos convolarent (ca. finem 1533) duces erant eorum qui pro reformatione in propria familia Observantiae obtinenda strenue adlaboraverant, et iam impetraverant a Clemente VII bullam *In Suprema* (16 nov. 1532) qua eis concedebatur: « *Regulam ipsam beati Francisci pure et plene iuxta eius litteram, et declarationem bonae memoriae Nicolai III ac Clementis V, . . . firmiter observare* » (3). Etiam in hac re praevaluuit Bernardini Astensis sententia supra opinionem Fratris Ludovici. Ludovicus, qui vere potest considerari tamquam repraesentans ideologiam officialem primae periodi, praevidebat Capuccinam Reformationem post capitulum an. 1535 novis viis, ipsi haud acceptis, sese commissuram, ideoque ait Bernardinus a Colpetrazzo (4), celebrationi capituli maxime obistebat.

Noster ergo Capuccinorum Ordo ab anno 1536 declarationes Regulae pontificias, praesertim Decretalis Nicolai III et Clementis V adscripsit iuri suo (5).

(1) « In qualche modo l'accettazione di dette dichiarazioni, che importavano certi mutamenti nella vita semplice, primitiva dei francescani, riconosceva che un ritorno completo all'antica semplicità, come aveva sognato Matteo da Bascio, era praticamente impossibile. Si ammetteva la necessità di ricercare sviluppi pratici per tenersi più vicino che fosse possibile alla sorgente donde era scaturita la vita francescana; ciò caratterizza il passaggio dal puro ideale alla vita pratica, passaggio decisivo nella storia di ogni società ». *Op. cit.*, p. 96.

(2) Cf. L. WADDINGUS, *Annales*, t. XVI, p. 328, XXI.

(3) Cf. L. WADDINGUS, *Annales*, t. XXI, 329, XXII; EDUARDUS ALENCONIENSIS, *Tribulationes Ord. Min. Cap.*, p. 1-5; P. BEN. SPILA, *Memorie storiche della prov. rifor-mata romana*, t. I, p. 5-11, Roma, 1890.

(4) « Il Padre Fra Ludovico haveva un'intento molto disforme dall'opinion de gl'altri circa il governo della Congregatione ». BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. I, p. 373.

(5) Satis apparet ex hucusque prolatis illius assertionis falsitas, quae a plu-

D. — *Fr. Capuccinorum conditio comparate ad Regulae glossas et privilegia.*

26. — *Quoad glossas.* In hac pariter materia Constitutiones an. 1536 claram et stabilem directionem Ordini communicaverant; ipsae enim manifeste, et simili modo subsequentes recognitiones, reliqui glossas et expositiones carnales, inutiles, noxias, quae Regulam relaxantes, illam a pura observantia avertunt et a pia, iusta et sancta mente Christi, qui per divum Franciscum loquebatur, divellunt (1).

Non omnibus glossis, ut ex verbis allatis liquet, omnino renuntiatur, sed illis tantum, quae in Constitutionibus satis describuntur, tamquam mutilatio verae doctrinae et apposito falsae. Victoria Colonna in quadam sua epistola, ineunte anno 1536 (2) scripta, hanc decisionem capitularem simili explanabat sensu: «Et acceptano tutte quelle scripture che li ponno stringere all'observantia della loro Regola: et quelle che in alcun modo la allargano, tutte l'hanno renunciate et renunciano» (3).

ribus, etiam auctoribus gravioribus, pro veritate traditur: «nota, dicunt, quae maxime Capuccinos ab Observantibus distinguit in eo est: Capuccini profitentur se nudam observare Regulam et pontificis declarationibus renuntiant». Cf. F. SUAREZ, *Opera omnia*, t. XVI, *De varietate Religionis*, lib. II, cap. VII, n. 11, Parisiis, 1859. Attamen Suarez in sua, omnibus plane perspecta, modestia praebet motivum excusationis propriae, cum dicit paulo infra: «mihi enim de eorum (Capuccinorum) more et usu non satis constat». Cf. F. GONZAGA, *De origine seraphic. religionis*, pars. I, p. 61, Romae, 1587. E contra vere inexplicabilia evadunt haec verba H. HOLZAPFEL (*Manuale historiae Ordinis*, p. 552): «Statuta (Capuccinorum) anni 1535 et 1552 quidem adhuc postulant, ut Regula sine declarationibus Pontificis observetur, sed iam anno 1608 Decretalis *Exiit* et paulo post etiam Decretalis *Exiit* admittitur. Ita evolutio, quae inevitabilis erat, Capuccinos magisque ad principia Observantiae reduxit».

Ex antea dictis elucet sole clarius assertiones H. Holzapfel et earundem consectoria fundamento historicoo-iuridico carere.

(1) «Et perche fu non solo voluntà del Padre nostro san Francesco, imo etiam de Christo, nostro Redemptore, che la Regula si osservasse simplicemente, ad litteram, senza glosa...; perho essendo la Regula nostra clarissima, acio più puramente, sanctamente et spiritualmente si osservi, si renuncia a tutte le glosse et expositione carnale, inutile, noxie, et relaxative, le quale extirano la Regula de la pia, justa et sancta mente de Christo, Signor nostro». *Const. 1536*, n. 25; idem immutatum invenies in *Const. 1552*, n. 5; *Const. 1575*, p. 40; *Const. 1608*, p. 6.

(2) Cf. EDUARDUS ALENCONIENSIS, *Tribulationes Ord. Min. Cap.*, p. 21.

(3) Cf. EDUARDUS ALENCONIENSIS, *op. cit.*, p. 32.

Vox glossa saepe accipitur « pro falsificatione sensus doctrinae » (1). Regulam ideo observare sine glossa, ad litteram, in huius secundae periodi documentis non aequivalet renuntiationi omnium declarationum et glossarum in Regulam sed illarum tantum, quae Regulae praecepta non elucidant, sed potius in falsum commutant vel relaxationi vitae indulgent (2).

Huius veritatis evidens argumentum ipsa nostra legislatio praebet. Capitulum generale octavum, an. 1552, decernit: « Altissima paupertas et Regula serventur ad mentem S. Francisci, ad litteram et sine glossa » (3). Quae verba concordari debent cum illis Const. 1536 supra relatis, quae eodem ipso anno in Const. 1552 repetuntur et quorum vi pontificiae declarationes Regulae et cum illis consentientes glossae in Ordine accipiuntur (4).

Glossarum renuntiatione illi primi fratres praecepue inten-debant in tuto collocare paupertatis altissimae summam purita-tem (5).

27. — *Privilegiorum renuntiatio.* Relate ad perplurima privilegia Ordini Franciscano uno aliove modo concessa, etiam in his quae paupertatem respiciunt, Capuccinorum noster Ordo modo aliquo solenni, ut constat ex verbis Const. an. 1536, positionem accipit identicam, illi in glossarum materia susceptam. « Capitulum generale (aperte agitur de capituli decisione) renuntiat omnibus privilegiis, quae Regulam relaxant, et viam latiorem aperiendo, ad sensualitatem se accommodant » (6).

(1) ALBERTUS A BULSANO, *Expositio Regulae*, n. 5, p. 23.

(2) GIOVANNI DA FANO, *Dialogo de la salute*, p. 18.

(3) Cf. A O, t. V, p. 75.

(4) Regulam observare sine glossa « non excludit declarationes, quae Regulam declarant, sed quae illam relaxant », ita iuxta L. Waddingum loquebatur anno 1523 cardinalis Quiffiones. Cf. *Annales*, t., XVI, XIX, 164; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, praelud. tertium, n. 8, p. 39.

(5) Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 8.

(6) « Perho sonno dal Capitulo Generale renunciati tutti li privilegii che relassano la Regula et alargando la via del spirito si conformano col senso ». *Const. 1536*, n. 11; *Const. 1552*, n. 11; *Const. 1575*, p. 40; *Const. 1608*, p. 6. P. Ioannes a Fano, paulo post capitulum scribebat: « Al presente havemo renuntiato a tutti li privilegii relassativi della regolar observantia... Ma dellli privigelij relassativi come è detto, nullo ne volemo, perche sonno causa de gran ruvina come apertamente si vede ». *Dialogo de la salute*, p. 159.

Horum privilegiorum exempla inveniuntur in *Bullario* (1) et praesertim in iam memorato libro *Compendium privilegiorum* a Casarubios-Sorbo composito.

Haec quoque ratio ordinatur ad obtinendam et tuendam altissimae paupertatis fidelem observantiam (2).

Ergo in hac secunda periodo nostra Reformatio adauget vincula iuridica, quae illam praeterito tempore Ordinis Seraphici adstringunt, eodem tempore etiam iuris paupertatis fontes ex praecedente aetate retenti augentur.

28. — Fontes itaque praecipui iuris paupertatis possunt proutraque periodo sic schematice disponi :

Periodus ab anno 1528 ad an. 1536.

I. — *Ius franciscanum ex periodo praecapuccina retentum :*

- 1º Regula Seraphica primi Ordinis.
- 2º Testamentum S. Fundatoris.
- 3º Verba et facta S. Fundatoris ut Regulæ interpretationis canon accipiuntur.

II. — *Ius novum :*

Constitutiones an. 1529 (Albacinae).

Periodus ab anno 1536 ad an. 1638.

I. — *Ius retentum.*

- 1º Regula Seraphica
- 2º Pontificiae declarationes Regulæ non relaxativæ :
 - a) *Quo elongati* Greg. IX (1230) ;
 - b) *Exitit* Nicolai III (1279) ;
 - c) *Quia nonnulli* Nicolai IV (1280) ;
 - d) *Exsultantes in Domino* Martini IV (1283) ;

(1) B C, t. VI, p. 23, 132, 137 et alibi.

(2) Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 8.

- e) *Exivi* Clementis V (1312);
 - f) *Quorumdam exigit* Ioannis XXII (1317).
- 3º Pontificia privilegia non relaxativa et Regulae glossae.

II. — *Ius novum* :

- 1º Constitutiones variae :

- a) Const. anni 1536.
- b) Const. anni 1552.
- c) Const. anni 1575.
- d) Const. anni 1608.

- 2º Ordinationes capitularum generalium I-XXX.
-

PARS SECUNDA

**LINEAMENTA IURIDICA PAUPERTATIS
FRATRUM MIN. CAPUCCINORUM**

P R A E N O T A N D A

29. — Doctrina in hac secunda parte explananda non tantum Ordini convenit quatenus est persona iuridica, verum etiam ceteris personis moralibus intra et sub ipso Ordine exsistentibus ; quae quidem personae sunt : provinciae et commissariatus sub Ordine ; conventus et hospitia sub provinciis vel commissariatibus (1). Immo quia paupertas nostra collectiva seu socialis fere in omnibus paupertatem singulorum seu individualem adaequat, ea quae de Ordine dicemus, etiam singulis religiosis in particulari applicanda sunt.

In disquisitione historicoo-iuridica paupertatis Fratrum Min. Capuccinorum, primo labente saeculo eorum instituti, duae periodi sunt distinguendae, siquidem hoc postulat iuris fontium diversitas, secum ferens diversam iuridicam structuram paupertatis in quaestionibus accidentalibus etsi magni momenti ; dicimus in rebus accidentalibus, quia fundamenta iuridica pro utraque periodo sunt eadem.

Hae duae periodi in tot diversas partes seiunctim pertracari poterant ; cum tamen documenta fundamentalia pro utraque periodo eadem sint, periculum seu necessitas aderat plura repetendi, ideoque ne in idem bis sermo incidat, his diversis periodis diversas partes non assignamus, sed in eadem parte, cum materia subiecta id exigit, doctrina duplicis momenti historicoo-iuridici traditur.

(1) Cf. *Constitutiones Fratrum Min. Capuccinorum*, n. 130-32, Romae, 1931. Si provinciae, commissariatus et domus legitime condantur, ex ipso iure sunt personae morales. Cf. can. 536, 1, can. 531 ; T. SCHAEFER, *De Religiosis*, n. 69, p. 127 sq. ; GOMMARUS MICHIELS, O. F. M. CAP., *Principia generalia de personis*, p. 357, Lublin, 1932.

Sectio I

DE ESSENTIA PAUPERTATIS FRATRUM MINORUM CAPUCCINORUM

30. — Ea quae in hac sectiome enucleantur vere fundamentalia sunt, atque duabus periodis, quas modo distinximus, conveniunt.

Fratres Min. Capuccini inter illos Ordines religiosos connumerantur, qui vocantur et stricte sunt Mendicantes, et quidem ex Regula (1). Verba Codicis Iuris Canonici (2) quibus enuntiatur adhuc Religiones exsistere bona temporalia adquirendi et possidendi incapaces, Ordini Capuccinorum omnino convenient; et licet quidquid de Mendicantium paupertate edocetur, sit et illius proprium, nostri tamen Ordinis paupertas apicem pertingens in gradatione paupertatum, aliorum Mendicantium paupertatem eminenter continet atque transcendit (3).

In quo autem huius paupertatis essentia sit reponenda, nunc est perquirendum.

CAPUT I

DOCTRINA CERTA

Art. 1. — DE HIS QUAE FRATRIBUS CAPACCINIS CIRCA RES TEMPORALES NON COMPETUNT

31. — Capuccinorum seraphica paupertas sive collectiva sive individualis, ad cuius observantiam vi voti paupertatis ipsi te-

(1) Cf. J. AZORIUS, *Institutiones Morales*, pars. I, lib. XII, cap. XXIII, c. 1577

(2) Can. 531, 582, 2.

(3) Varii gradus paupertatis videri possunt descripti a F. SUAREZ, *Opera omnia*, t. XV, lib. VIII, c. 8, n. 2, p. 593.

nentur, essentialiter consistit in reali abdicatione seu parentia omnis iuris civilis seu politici in res temporales.

Doctrina haec communi doctorum Ordinis traditur consensu, ideo hic immorari tantum duximus necessarium, quantum opus sit ad terminorum explicacionem et doctrinae per textus legales comprobationem.

Collectiva nostri Ordinis paupertas posita est essentialiter in :

1º *Abdicatione reali*: abdicatio realis dicitur, ut illa excludatur quae est solius affectus.

2º *Omnis iuris politici seu civilis*.

Ius politicum, ab expositoribus Regulae etiam civile dictum(1), sumitur hic in oppositione ad ius divinum naturale, illud nempe, vel quod omnes habemus et vi cuius possimus et tenemur rebus uti necessariis ad vitae conservationem. Hoc ius ex lege divina promanans, nequit abdicari, ideo et Fratres Minorum ipsum necessario retinent.

Iuxta communem doctorum opinionem duplex ius in homine distinguitur: unum *naturale et innatum*, alterum ad hominibus introductum per humanam voluntatem aliquo modo acquisitum, quod proinde *adventitium seu humanum* potest nominari.

Primum ius versatur circa bona interna, sive corporalia, sive spiritualia, circa famam, honorem, etc., et etiam circa bona temporalia extrinseca in quantum necessaria sunt ad vitae conservationem. Hoc tamen ius naturale in res temporales, ad vitae conservationem necessarias, est ius ad merum usum, non ius dominii (2).

Ius alterum versatur praecipue circa bona temporalia externa quae «bona fortunae» dicuntur. Sub isto iure humano, adventitio, quod nos, doctores nostros insequentes, *politicum seu civile* nuncupamus, tamquam sub genere species, illi quinque actus continentur, qui a theologis recensentur tamquam morales habitudines, quas homines circa res temporales habere queunt (3),

(1) Cf. A. DE CORDUBA, *Expositio evangelicae Regulae Seraphici Patris S. Francisci*, cap. VI, q. 1^a; HIERONYMUS A POLITIO, *Expositio cum dubiis excusis in Regulam Seraphici Patriarchae S. Francisci*, cap. VI, n. 5, p. 420, et generatim Regulae expositores ad caput VI.

(2) Cf. F. SUAREZ, *Opera omnia*, t. XV, lib. VIII, cap. V, n. 3 p. 562; DE LUGO, *De Justitia et Jure*, disp. II, sect. III, n. 56, p. 603.

(3) F. SUAREZ, *ibid.*, lib. VIII, cap. V, n. 3, p. 562.

i. e. *dominium, proprietas, possessio, usus fructus et usus iuris*, quorum tres primi ipsam rei substantiam attingunt, duo postremi tantum rerum qualitates seu accidentia (1).

Ius politicum seu civile proprie dictum actione quoque et exceptione munitur, ut in iudicio vel impugnetur, vel defendatur.

Ideo ius politicum, pro nostrae expositionis scopo, definiri potest : *Ius res temporales externas dominandi, possidendi, usufruendi vel illis utendi, a lege humana actione vel exceptione munitum.*

Sed, ut clarius et intimius perspiciatur essentia huius paupertatis collectivae, haud iniucundum erit notiones horum quinque actuum, etsi paucis tatum verbis, huc referre.

a) *Dominium*. — Iuxta doctrinam a iurisperitis communiter receptam, dominium proprietatis est «ius perfecte disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur» (2).

Per haec verba: «perfecte disponendi de re corporali», dominium satis ab usu et usufructu distinguitur, talibus enim significatur verbis, dominium non tantum esse rebus utendi et fruendi facultas, verum etiam ipsas distrahendi, donandi, vendendi, negligendi, consumandi, de ipsis pro voluntatis libito disponendi in quoslibet usus a lege non prohibitos.

b) *Proprietas*. — Iuxta aliquorum placita, proprietas identificatur cum dominio (3). In aliorum tamen sententia proprietas ad dominium superaddit, quod dominus socium non habeat in rei dominio. Hoc sensu a pluribus nostrae Regulae expositoribus sumitur (4).

(1) Cf. D. SOTO, *De Justitia et Jure*. lib. IV, q. I, p. 286; P. MARCHANT, *Expositio litteralis in regulam*, cap. VI, p. 189; CYRILLUS A BERGOMO, *De morientium eleemosynis*, p. 87.

(2) Cf. DE LUGO, *op. cit.*, disp. II, sect. I, n. 3, p. 578. Licet, ut bene animadvertisit L. MOLINA (*De Justitia et Jure*, disp. III, c. 34-35, Moguntiae, 1614), haec Bartoli definitio sit valde restricta et solum se extendat ad res corporales, in nostro casu potest ea iure optimo uti, nam solum de rebus temporalibus est quaestio. Cf. CYRILLUS A BERGOMO, *op. cit.*, p. 78, n. 5; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 5, p. 420.

(3) Cf. F. SUAREZ, *Opera omnia*, loc. cit., cap. V, n. 4; J. AZORIUS, *op. cit.* lib. XII, cap. XII; LUDUVICUS A MIRANDA, *Manualis Praelatorum*, t. I, q. XXVIII, art. I, Placentiae, 1616.

(4) Ita inter alios A. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. I, p. 272; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 2, p. 414; P. MARCHANT, *op. cit.*, cap. VI, p. 189; BERNARDO DA BOLOGNA, *Lezioni sopra la Regola*, lez. XIV, cap. VI, p. 189, ubi ad propositum scribit: Proprietas idem est ac dominium «ma in maniera che esprime

c) *Possessio.* — Classica possessionis definitio, quam peritisimi iurisperiti definire propter internam materiae difficultatem non ausi fuerant, haec est: *Possessio est rei corporalis detentio, corporis et animi iurisque adminiculo interveniente.*

Possessio stricte loquendo de rebus dicitur corporalibus. Detentio et corporis et animi esse debet, nec corpus (factum) sine voluntate rem sibi modo absoluto adscribendi, nec voluntas (animus) sine corpore sufficit. Immo cum ex sola rei natura actio, qua res possidenda apprehenditur, determinata non sit et ius positivum possit resistere possessioni, illam v. gr. irritando, ideo in definitione additur: « iuris adminiculo interveniente » (1).

Iuxta Regulae Seraphicae expositores, non impediri ab alio in exercitio iam habiti dominii, est rem possidere, seu rei habere possessionem (2).

d) *Ususfructus est ius utendi, fruendi rebus alienis, salva rerum substantia.*

Per verbum «utendi» differt ususfructus a iure creditoris in pignus quo uti nequit.

Per particulam «fruendi» discriminatur a iure utendi, seu a iure usuarii, cui uti rebus conceditur alienis, non autem frui. Ille vero rebus frui dicitur, qui rerum fructuum fit dominus, uti in usufructu contingit. Usuarius tamen, seu usum iuris habens, non fit fructuum dominus, ut ex eo evincitur, quod ius possidet limitatum utendi rebus ad usum proprium, non ad omnes usus.

Per verba «salva rerum substantia» differt ususfructus a domino.

e) *Usus iuris est ius utendi simpliciter re aliena, salva eius substantia.* Ab usufructu differt, ut modo dictum est, eo quod vi ususfructus usufructarius fit dominus fructuum, illos pro se

di più la singolarità, con cui uno si fa padrone di una cosa, e può dirla così propria, che non abbia l'avere dipendenza da altri nel ritenerla, nel domandarla, nel alienarla, o distruggerla». Alii vero expositores Regulae dominium et proprietatem omnino identificant. Cf. LOUIS DE PARIS, *Exposition littérale de la Régule des FF. Mineurs*, cap. VI, p. 348. Nos illa seiunctim enuntiamus, quia in textibus legalibus Ordinis nostri separatim referuntur.

(1) Cf. J. DE LUGO, *op. cit.*, disp. II, sect. IV, n. 59-61, p. 605; F. SUAREZ, *Opera omnia*, loc. cit., lib. VIII, cap. V, n. 8-9, p. 564.

(2) Cf. præter auctores supra allatos, CYPRIANUS CROUSERS, *Lectiones paraceneticae ad Regulam S.P.S. Francisci*, cap. VI, p. 344.

acciens et pro aliis, usuariorum vero nec dominus fit, nec pro aliis accipit, sed pro se tantum. Uterque tamen integrum rei substantiam tenetur conservare (1).

3º Postremo diximus essentiam paupertatis consistere in iuris politici abdicatione «quoad res temporales».

Sub rerum temporalium sive corporalium nomine veniunt ea bona extrinseca, quae generice divitiae, vel bona fortunae nuncupantur et constituant materiam remotam voti paupertatis; non autem, ut palam est, significatur bona corporalia intrinseca, ut ius ad vitam, ius membris et facultatibus utendi ad proprias actiones, quorum proprietatem, minime obstante paupertatis voto, religiosi acquirunt atque conservant (2).

Essentia ergo seraphicae Capuccinorum paupertatis in plenissima horum quinque actuum sive totius iuris politici in res temporales abdicatione reponitur, adeo ut Ordo et ceterae personae sive iuridicae sive physicae intra Ordinem et sub Ordine, nullius rei temporalis possint dominium, proprietatem, possessionem, usumfructum, aut iuris usum habere, sive res immobilia sit, sive mobilis, sive fungibilis sive non; neque possint rem ullam ut propriam in iudicio vindicare, aut persequi ut sibi debitam (3).

Ideo quidquid a propria hominum voluntate et lege humana supra innatum ius in res temporales adnecti potest, a Religione nostra penitus abdicatur, i. e. ius dominii, proprietatis, possessionis, ususfructus, iuris utendi et actiones vel exceptiones, quibus praedicta iura muniuntur.

(1) Cf. D. SOTO, *op. cit.*, lib. IV, q. I, p. 286; J. DE LUGO, *op. cit.*, disp. II, sect. III, n. 39, p. 596; J. AZORIUS, *op. cit.*, lib. XII, cap. XII, c. 1516-1517; LESSIUS, *De Justitia et Jure*, cap. III, Dub. 4-6, et expositores nostrae Regulae ad cap. VI.

(2) Cf. F. SUAREZ, *Opera omnia*, loc. cit., lib. VIII, cap. IV, n. 2 et sq., p. 557; CYPRIANUS CROUSERS, *op. cit.*, cap. VI, p. 344; HYACINTHUS DE CASALE, qui optime hanc materiam definit dicens: «Per votum paupertatis non abdicamus a nobis proprietatem bonorum spiritualium et internorum, ut sunt virtutes theologicae, et aliae, dona Spiritus Sancti, sacri characteres, scientia, naturales corporis et animae dotes, honor qui est praemium virtutis, dignitas praelature et alia huiusmodi plura». *Tractatus de paupertate religiosa*, pars I, cap. VI, p. 45-46.

(3) Cf. S. BONAVENTURA, *Opera omnia*, t. VIII, *Apologia pauperum*, p. 313; ANGELUS CLARENUS, *Expositio Regulae Fratrum Minorum*, cap. VI, p. 175-176; A. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. I, p. 270-272; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 2, p. 414; BARTHOLOMAEUS VECCHI, *Disputationes in caput VI Regulae Sancti Francisci*, disp. V, dub. X.

Merito haec paupertas nuncupatur « altissima », quia quantum possibile est, rebus omnibus renuntiat temporalibus atque ita paupertatis sive collectivae sive individualis gradum supremum constituit.

**Art. 2. — DE HIS QUAE FRATRIBUS CAPUCCINIS
CIRCA RES TEMPORALES COMPETUNT**

32. — Quid Ordo noster in res temporales non habeat modo vidimus; nunc autem quid habeat examinandum venit, ut ita tota et completa materia praebeatur.

Renuntiatis voto paupertatis omnibus actibus civilibus in res temporales, Ordini nostro nihil amplius superest, quan simplex rerum usus facti. Ad huius quaestionis rectam intelligentiam est hic necessario animadvertisendum usum iuris ab usu facti prorsus distingui.

Usus facti est ipsa actio re aliqua utendi, v. gr. actualis comedestio, potio, etc. Usus iuris est potestas moralis ad haec facienda propter ius intrinsecum et in persona radicatum (1).

Simplex usus facti est semper dependens, atque a rerum domino pro voluntatis libitu absque iniuria aliqua revocabilis, dum usus iuris, quandiu subsistit, independens est, irrevocabilis a rerum domino absque iniuria usuarii, cui usus iuris conferit facultatem re utendi adversus omnes, etiam adversus rerum dominum.

Duae quaestiones hic agitari solent ab expositorebus nostrae Regulae et a doctoribus gravioribus seu classicis de iure et iustitia, vel de paupertatis voto disserentibus, ut definire possint utrum haec Fratrum Minorum promissa paupertas, iuxta quam nec singuli Religiosi, nec Religio tota nihil aliud habent in res temporales, quibus utuntur, praeter merum usum facti, sit possibilis, necne. Potissimum vertitur quaestio de rebus, quae unico usu proprio consumuntur. Haesitabatur enim an in his rebus dominium et usus ita distingui possint ex parte subiecti, ut in uno subiecto sit dominium, in altero vero merus usus, quia si in huiusmodi rebus dominium et usus nequeunt separari, Fratres Minores, qui earum usum facti obtinent certe, ha-

(1) Cf. D. SOTO, *op. cit.*, lib. IV, q. I, art. I, p. 288; J. DE LUGO, *op. cit.*, disp. II, sect. III, n. 41, p. 596.

berent quoque dominium, sive aliquarum saltem rerum essent veri domini.

Uti recte hic animadvertisit J. de Lugo, res, quibus uti possumus, sunt in duplii differentia. Aliae, quae unico usu proprio consumuntur, ut panis; aliae, quae unico usu non consumuntur, ut domus, vestis, vasa, etc. De illis rebus praesertim movebatur quaestio, quae unico usu proprio consumuntur, quia usu minus proprio et secundario uti possunt et non consumi, ut si v. gr. vino utaris ad odorem, cibo ad splendorem solum et ornatum (1).

Haec prima quaestio est historicoo-iuridica; quatenus est historica potius ad periodum praecapuccinam pertinet, quando magna conturbavit tempestate quamplurimos, ut ait Cardinalis Zabarella (2), et non solum inter doctores verum et inter Summos Pontifices fuit agitata (3).

Tempore tamen, ad quod nostra protenditur dissertatio, lis ista omnino inter Pontifices fereque etiam inter doctores privatos, erat composita in favorem doctrinae in Ordine Minoritico traditionalis. Ideoque tantummodo ea, quae ad partem attinent iuridicam, breviter referuntur, ut doctrina ita compleatur et firmetur.

Sententiam propugnantem usus separationem a dominio in rebus, quae unico usu proprio consumuntur, plures tenuerunt, scilicet, praeter summos Ecclesiae Pontifices (4), scriptores nostri et Regulae expositores unanimi consilio, aliique plurimi

(1) Cf. J. DE LUGO, *op. cit.*, disp. II, sect. III, n. 41, p. 596. In istis rebus, sicut et in illis, quae usu non consumuntur, nulla aderat seria difficultas, eo quod usus ex parte subiecti separatur a dominio.

(2) Cf. J. AZORIUS, *op. cit.*, lib. XII, cap. XXIV, c. 1587.

(3) Partem negativam, Ordini nempe contrariam, defenderant inter alios Bartolito, Card. Turrecremata, Sarmiento, Aragón quos omnes invenies allegatos apud T. SANCHEZ, *De Preceptis decalogi*, lib. VIII, cap. XVIII, n. 4, et alii, praesertim Dominicani. Ex Pontificibus vero Joannes XXII, qui eam propugnavit in Const. *Ad Conditorem* (8 dec. 1322): c. 3, 14, *Extravag. Joann.*, *XXII*, etiam in Const. *Quoniam inter nonnullos*, 1323, et *Quia querundam*, 1325: c. 4 et 5, 14 *Extravag. Joann. XXII*.

(4) Praesertim Nicolaus III, Const. *Exiit*: c. 3, V, 12 in VI; Clemens V, Const. *Exivi*: c. 1, V, 11 in Clem.; et post. Joannem XXII, Martinus V, *Amabilis fructus*, BC, t. VI, p. 127; *Constitutiones Martinianae*, cap. I, BC, t. VI, p. 130, aliique Pontifices doctrinam a Nicolao III traditam confirmantes.

doctores doctrinae pondere et auctoritate praestantissimi Ordini nostro extranei (1).

Argumenta, quibus haec sententia, quam et nostram facimus, vera demonstratur, ad tria reducuntur :

1) Nulla apparet repugnantia in eo quod possit aliquis accipere a domino facultatem utendi re aliqua unico usu proprio consumptibili, et quod recepta facultas revocabilis sit et dependens semper a voluntate ipsius domini. Qui talem accipit facultatem, rei dominium certe non acquirit, nam in rei usu dependet semper a voluntate alterius, penes quem potestas adest, quoties voluerit et pro suo libitu, rei usum illi interdicere (2). Insuper, ut verum alicuius rei dominium quis ditinere dicatur, non sufficit, ut possit rem quomodocumque destruere, hoc tantum posse ius minimum in dominio reputatur, sed requiritur : a) ut possit independenter et libere rem destruere, i. e. quando, ubi et quomodo voluerit; b) ut possit in omnem usum a iure non improbatum huiusmodi rem pariter libere assumere, ut alienare, donare, commutare, pro ipsa in foro iudiciali contendere iure proprio, etc. Iam vero, licet Fratres Minores possint in propriorum necessitatum levamen res consumere, nec libere tamen et omnino ab aliis independenter hoc faciunt, neque ad alios usus rebus praedictis uti queunt (3). Ita veluti a priori probatur collectivae Capuccinorum paupertatis possibilitas.

2) Dum aliquis amicos convivio excipit, non facit eos ciborum dominos; invitans potest convivas ab usu alimentorum semper prohibere, nam hi usum facti ciborum tantum obtinent, minime vero dominium. Ita Fratribus Minoribus contingit. Ciborum et aliarum rerum, quibus utuntur, domini (i. e. Summus Pontifex vel benefactores) censemur eos quotidie invitantes hospitioque recipientes nudumque eis concedentes usum

(1) Ita D. SOTO, *op. cit.*, lib. IV, q. I, art. I, p. 287 sq.; F. SUAREZ, *Opera Omnia*, loc. cit., lib. VIII, n. 26; T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XVIII, n. 5; J. DE LUGO, *op. cit.*, disp. II, sect. III, n. 43 et sq; J. AZORIUS, *op. cit.*, lib. XII, cap. XXIV, c. 1589; L. LESSIUS, *De iustitia ei iure*, cap. III, dub. 8; R. BELLARMINUS, *De Controversiis*, tom. I, *Tract. de Summo Pontifice*, lib. IV, cap. XIV, p. 504.

(2) Cf. J. DE LUGO, *op. cit.*, disp. II, sect. III, n. 44, p. 597, qui totam hanc quaestionem optime pertractat.

(3) Cf. T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XVIII, n. 5; R. BELLARMINUS, *op. cit.*, *De Romano Pontifice*, lib. IV, cap. VIV, p. 504.

super cibos, domus, et res omnes, quibus indigent ad sustentationem vitae et executionem officiorum, pleno et libero apud Pontificem vel benefactores concessarum rerum dominio, remanente, cum potestate sibi omnia ad libitum revocandi, et aliis tribuendi cum maluerint (1).

Ita non tantum a priori, sed etiam a consimili nostrae paupertatis iuridicae firmatur possilitas.

3) Rerum dominium nequit sine acceptatione acquiri; possunt autem Fratres Minores earum rerum, quas ipsis benefactores elargiuntur, renuere acceptare dominium, et tantum usum a domino pro lubitu revocabilem accipere; unde possunt habere usum absque dominio tum in communi tum in particulari earum quoque rerum, quae unico proprio usu consumuntur (2).

33. — Remanet adhuc altera speculativa et non declinanda in hac re difficultas adversus nostrae paupertatis possilitatem obiecta, nempe: an possit consistere usus facti « licitus » sine « iure » saltem ad rerum usum. Nam qui sine iure ad usum utitur rebus alienis, iniuste et illicite videtur rebus uti; unde vel Fratres Minores usum iuris habent, vel illicite rebus utuntur (3).

Multiplici modo ad hanc difficultatem, sub qua vera obtegitur quaestio, potest responderi.

a) *Indirecte*. Fratres Minores in res, quibus utuntur, usum iuris minime sibi acquirunt, nam usus iuris ex concessione domini confert usuario facultatem moralem ad usum rerum contra omnes, etiam contra ipsum rei dominum; sed cum Fratres Minores possint ad domini libitum semper impediri, ne rebus utantur concessis, patet nullum iuris usum illos acquirere (4).

(1) Cf. D. SOTO, *op. cit.*, lib. IV, q. I, art. I, p. 288; J. DE LUGO, *op. cit.*, disp. II, sect. III, n. 44; CYRILLUS A BERGOMO, *op. cit.*, p. 80, n. 10. Exemplo convivae addi potest illud servorum et, in Ordinibus, particularium religiosorum. Cf. D. SOTO, *op. cit.*, l. o.; J. DE LUGO, *op. cit.*, l. o.; T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XVIII, n. 8; S. BELLARMINUS, *op. cit.*, lib. IV, *De Rom. Pontif.*, cap. XIV, et HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 7, p. 424.

(2) Cf. T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. et cap. *cit.*, n. 5; J. DE LUGO, *op. cit.*, p. 597; CYRILLUS A BERGOMO, *op. cit.*, p. 81, n. 16.

(3) Hanc sententiam pariter strenue defendit Joannes XXII, Const. *Ad Conditorem* (8 dec. 1322): c. 3, 14 *Extravag. Joan. XXII*, et alii Doctores. Cf. ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. I, p. 278.

(4) Cf. J. DE LUGO, *op. cit.*, disp. II, sect. III, n. 49, p. 299 sq.

b) *Directe*: 1. Ut sit iustus usus rerum et licitus non requiritur ius proprium, sed sufficit mera licentia vel permissio eius, qui ius habet. Ad usus liceitatem sufficit, ut quis re utatur sine aliorum injuria, nec requiritur, ut fiat iure proprio; unde, qui de licentia dominorum utuntur rebus, nemini iniuriam faciunt. 2. In verbis «uti sine iure» aequivocatio aliqua adest. Nam si de iure, quatenus legem significat, sermo vertitur, verum est ius ab usu iusto separari non posse, nam qui usum iustum habere potest, semper ius habet aliquod, i. e. legem divino-naturalem, quae huiusmodi usum concedit, vel saltem approbat. Si vero ius pro morali quadam potestate sumatur ad usum, tunc potest quis usum habere licitum absque iure proprio et quasi intrinseco, dummodo licentia accedat, seu permissio illius, qui gaudet iure proprio in res.

Breviter: Fratres Minores ius politicum seu civile dictum ad rerum usum minime possident, habent nihilominus ius divino-naturale, quod fas seu aequitas utendi a doctoribus nuncupatur; si ad hoc ius divino-naturale, cui renuntiari non potest, accedat rei concessio a domino facta, usus facti rei plene licitus evadit (1).

(1) Cf. F. SUAREZ, *Opera omnia*, t. XV, lib. VIII, cap. V, n. 12, p. 565; ANTONIUS DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. I, p. 278-279; T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XVIII, n. 7; CYRILLUS A BERGOMO, *op. cit.*, p. 87, n. 39. Minime obstat tradita a Joanne XXII doctrina opposita in Extravagante *Ad Conditorem*, saepius dein a suis Successoribus revocata. De hac positione Joannis XXII diversum a doctoribus profertur iudicium. Dum aliqui non esse attendendum asserunt (D. SOTO, *op. cit.*, lib. IV, q. I, art. I, p. 288), alii propugnanti Joannem nihil tamquam certum statuisse, sed solum disputando in eam partem magis se inclinasse. (L. MOLINA, *op. cit.*, disp. VI, c. 48; T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XVII, n. 22). Alii adlaborare malunt pro concordia Decretalium Nicolai III et Joannis XXII, eo sensu, ut Nicolaum III affirmare dicant de iure civili seu politico, quod Joannes XXII de iure naturali denegat. Cf. J. AZORIUS, *op. cit.*, lib. XII, cap. XXIV, c. 1589; ANTONIUS DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. I, p. 286-89. Alii denique Joannem errasse affirmant, ut R. BELLARMINUS, *op. cit.*, *De Romano Pontifice*, lib. IV, cap. XIV, p. 504; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 7; CYRILLUS A BERGOMO, *op. cit.*, p. 88, n. 11-12; ex quo nihilominus nullum sequitur inconveniens, cum Joannis doctrina non fuerit definitiva, ut Pontifex, sed mere assertiva, qua Doctor privatus, et quidem in quaestione iuridica, non in rebus fidei vel morum.

**Art. 3. — TRADITAE DOCTRINAE PER TEXTUS LEGALES
COMPROBATIO**

34. — Paupertas modo descripta his verbis in seraphica Regula invenitur praecepta : « Fratres nihil sibi approprient nec domum, nec locum, nec aliquam rem » (1). Verba ista iuxta repetitas et authenticas Summorum Pontificum expositiones, atque unanimem doctorum sententiam praceptum continent inhibitorium de bonis tum immobilibus tum mobilibus intelligendum non solum pro paupertate individuali, sed et pro collectiva. Plurima hoc loco poterant proferri documenta, sed haud necessarium visum est textuum legalium contexere seriem ad probandam rem communiter acquisitam. Sufficiat duo tantum Pontificum afferre testimonia.

Gregorius IX in bulla *Quo elongati* (28 sept. 1230) paucis transactis annis a morte Fundatoris (1226), haec declarabat : « Praeterea cum ipsa Regula contineatur expresse quod fratres nihil sibi approprient nec domum, nec locum, nec rem aliquam... ; praesertim cum iam dixerint aliqui proprietatem mobilium pertinere ad totum Ordinem : dicimus itaque quod neque in communi, nec in speciali debent proprietatem habere » (2).

Et forsitan meminisse iuvabit Gregorium IX amicum et collaboratorem S. P. Francisci fuisse in Regulae compositione.

Lucidiori modo Clemens V in Const. *Exivi* hanc paupertatem adumbrat declarans : « Proinde quum vir sanctus, paupertatis praemissae in regulam modum exprimens, dixerit in eadem : Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanquam peregrini et advenae, in hoc saeculo in paupertate et humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter, sicque declaratum exstitit per nonnullos praedecessores nostros Romanos Pontifices, hanc expropriationem intelligi debere tam in speciali quam etiam in communi, propter quod et rerum omnium concessarum, ablatarum, et donatarum fratribus (quas et quarum usum, facti scilicet, Ordini vel ipsis fratribus licet habere), proprietatem et dominium in

(1) Cf. *Opuscula S. P. Francisci*, p. 68.

(2) Cf. B C, t. VI, p. 11.

se et Romanam Ecclesiam receperunt dimisso ipsis fratribus in eis tantummodo usu facti simplicis » (1).

Hic Clemens V inculcat, quod iam Nicolaus III aperte tradiderat: Fratres Minores usum facti simplicem in res temporales habere (2).

Documenta legalia Ordinis Fratrum Min. Capuccinorum ante an. 1536 hanc Ordinis paupertatem explicite non describunt; attamen huiusmodi paupertas vere et sufficienter, quamvis implicite delineata est in desiderio communi Regulam seraphicam ad litteram, ad unguem observandi. In posteriori vero legislatione accuratissime et technico quodam modo haec paupertas definitur: « Si dichiara et determina che noi non habbiamo alcuna giurisdittione, dominio, proprietà, giuridica possessione, uso frutto, ne manco uso giuridico de i lochi dove habbitiamo, ne d'alcuna cosa, ne ancho di quelle che per necessità usiamo; di sorte che i veri et totali patroni ci possono mandar via sempre che a loro piace, et possono ogni loro cosa a sua posta repigliare » (3).

Haec verba in Constitutionibus an. 1552 post conveniens asceticum praeludium, ut fit semper, reperimus; non tamen prima vice tunc in Constitutionibus inseruntur nostris, cum iam in illis anni 1536 comperiantur (4). Protulimus verba Constitutionum an. 1552, quia licet idem substantialiter ac priores Constitutiones asserant, maiori tamen nanciscuntur in redactione technicam iuridicam, quae in posterioribus recognitionibus immutabilis asservatur (5).

Ad hanc ergo materiam concludendam merito dici potest: Documenta legalia ex seraphica Regula, ex huius Regulae pontificiis declarationibus, et pro Religione nostra, ex Constitutionibus propriis desumpta, modo unanimi statuunt Ordinem nostrum

(1) C. 1. V, 11 in Clem. c. 1196-1197.

(2) Const. *Exitit*, c. 3, V, 12 in VI, c. 1113; cf. etiam INNOCENTIUS IV, *Ordinem vestrum* (1245), B C, t. VI, p. 23; MARTINUS V, *Amabiles fructus* (1428), B C, t. VI, p. 127, et ex doctoribus praeter illos supra allatos J. CARAMUELIS, *Theologia Regularis*, tom. I, pars sexta, n. 199; F. SCHMALZGRUEBER, *Ius ecclesiasticum universum*, tom. III, tit. XXXV, p. 163; et omnes Regulae expositores ad cap. VI.

(3) Cf. *Const. 1552*, n. 69.

(4) Cf. *Const. 1536*, n. 69.

(5) Cf. *Const. 1575*, p. 63; *Const. 1608*, p. 29,

nullius rei temporalis posse habere dominium, proprietatem, possessionem, usum fructum aut iuris usum, sed tantum merum usum facti.

Doctores nostri et alieni unanimi ferme consensu huius paupertatis non repugnantiam, ut vidimus, demonstrant; bene ergo possumus et nos hoc loco cum F. Suarez repetere: *tale paupertatis genus in illustrissima religione S. Francisci non est negandum, sed venerandum* (1).

(1) Cf. *Opera omnia*, t. XV, lib. VIII, cap. VIII, n. 26.

CAPUT II

DOCTRINA CONTROVERSA. AN ALIQUIS RERUM USUS AD ESSENTIAM SERAPHICAE PAUPERTATIS PERTINEAT

35. — Ad materiae huius sectionis de essentia seraphicae paupertatis complementum, summatim attingenda est quaestio haec: an aliquis rerum temporalium usus, sive pauper, sive moderatus, pertineat vel non ad essentiam seraphicae paupertatis, simul cum totali iuris abdicatione (1).

In primis quaestionem indicamus historicam, ut deinde melius Fratrum Capuccinorum positio iudicetur.

Art. 1. — QUAESTIO HISTORICA

Lites, quae inter Fratres Provinciae (Provence) exarserunt circa annum 1290 comparate ad usum pauperem (2), fuerunt exordia magnae in Ordine Franciscano disceptationis, praesertim initio saeculi XIV. Disputata quaestio, an aliqua limitatio in rerum usu pertineret ad essentiam voti paupertatis seraphicae necne, erat utique speculativa, sed non minus practica, unde partium magnus in disceptando aestus explicatur.

Speculative inspecta «difficilior» fuit a Petro Olivi haec quaestio iudicata, et a Petro Aureolo «non mediocriter perplexa», qui duo auctores possunt considerari tamquam oppositarum sententiarum duces (3).

(1) De usu paupere et moderato infra, data opera, est agendum, p. 194.

(2) Cf. H. HOLZAPFEL, *Manuale*, p. 48-49.

(3) Petrus Olivi ad quaeſitum «Quomodo usus pauper sub voto cadat aut cadere possit» respondet: «Ex hoc autem patet via ad tertium, quod est difficilior praedictis duobus». Cf. *Archiv für Literatur und Kirchengeschichte*, t. III, p. 509;

Iuxta primae sententiae placita usus rerum et quidem pauper est voti seraphicae paupertatis pars essentialis. Ideo votum nostrum, secundum hanc doctrinam, ex abdicatione plena omnis iuris et ex rerum usu pauperi tamquam ex partibus integratur. Practica consequentia erat inde deducta: usus pauper extenduntur ad omnia, quorum usus fratribus conceditur.

Haec sententia fuit a Spiritualibus strenue propugnata, inter quos eminent Petrus Olivi et Ubertinus a Casale (1).

Secundum oppositam sententiam essentia seraphicae paupertatis est unice in omnimoda iuris et dominii abdicatione reponenda; arctatio vero, seu usus rerum limitatio, non pertinet ad essentiam paupertatis seraphicae (2). Neque hic detinebantur huius doctrinae vindices, sed ultra processerunt asserendo nec usum pauperem, nec moderatum sub voto paupertatis cadere.

Fratres equidem ad usus arctos in Regula expressos obligantur, non tamen vi voti paupertatis, sed vi voti obedientiae; obligantur pari modo ad usum in aliis rebus moderatum, sed ex status condecorantur, non vi voti paupertatis (3).

Talem doctrinam, quam nonnulli novam et Ordinis traditioni contrariam iudicare non formidant (4), Petrus Aureo-

PETRUS AUREOLUS, *Tractatus de paupertate et usu paupere*, in *Firmamentum Trium Ordinum Minorum*, pars III, f. 126, Venetiis, 1518.

(1) Ubertinus a Casale in suo opusculo *Super tribus sceleribus* scribit: quod autem paupertas evangelica, apostolis a Christo imposta sub precepto et in Regula nostra contenta, sub voto non solum abdicationem proprietatis, sed usum pauperem rerum seu moderatum et artum essentialiter comprehendit et ex utroque tamquam ex partibus integratur. Cf. A F H, 1917, t. X, p. 103 et 125; P. GRATIEN, *Histoire de la fondation et de l'évolution*, p. 397-405; P. FRÉDÉGAND CALLAEGY, *Étude sur Ubertin de Casale*, p. 169, 183 et sq.; *Disputatio inter zelatorem paupertatis et inimicum domesticum eius*, in *Monumenta Ordinis Minorum*, f. 219-225.

(2) « Paupertas altissima consistit essentialiter in omnimoda abdicatione iuris et dominii omnium rerum et omnium dicitiarum. In arctatione vero usus vel limitatione non consistit essentialiter, imo accedit paupertati ». Ita PETRUS AUREOLUS, *op. cit.*, in *Firmamentum Trium Ordinum*, pars III, f. 127 v.

(3) « Circa secundum articulum, an frater Minor ex voto huins altissimae paupertatis essentialiter teneatur ad usus pauperes, dicendum quod non essentialiter, sed solum condecoranter ». P. AUREOLUS, *op. cit.*, in *Firmamentum*, pars III, f. 128. « Circa tertium articulum, an frater Minor ad usus pauperes teneatur et ad quos usus et ex qua vi, quia non ex vi voti paupertatis. Dicendum quod ex vi voti obedientie, quam beato Francisco promittit, tenetur ad servandum usus pauperes quos in Regula beatus Franciscus preceptorie vel inhibitorie indicit ». *Ibid.*

(4) Ita P. GRATIEN, *op. cit.*, p. 398.

Ius tenuit, et dein facta est sententia « Communitatis » (1).

Sententia ista subtilis, secundum quam nullus excessus sive quantitatibus sive qualitatibus in rerum usu votum laedebat paupertatis, dummodo rerum appropriatio non haberetur, magnam concitavit oppositionem ex parte illorum, qui ardore aliquando nimio, seraphicam prosequebantur paupertatem. Quantum vero disceptatio haec animos commoverit ex necessitate interventus Clementis V et concilii Viennensis emicat. Duo decreta in tertia et ultima sessione concilii Viennensis, 3 maii 1312, fuerunt publicata: dogmaticum unum, *Fidei catholicae fundamento* (2), alterum ad Ordinis disciplinam spectans, nempe Constitutio *Exivi* (3), quibus omnes lites « Communitatem » inter et « Spirituales » componi concilium moliebatur.

Verba Clementis V circa quaestionem de usu paupere fuerunt vere prudentialia, non tamen definitiva, quandoquidem dubia non fuerunt dilucide soluta, etsi certe illos Pontifex carpit, tum ex Communitate, cum ex Spiritualibus, qui haeresis notam adversae infligebant sententiae (4).

Ita adhuc post Decretalem Clementinam Spirituales praetendunt, quod Clemens V ipsorum sententiam apostolica auctoritate firmavit (5), dum e converso Communitas et ipsa victrix aestimatur (6).

Adhuc et hodie inter rerum franciscanarum cultores non est concors sententia in verbis Clementis V de usu paupere aestimandis, dum enim aliqui simpliciter asserunt Clementem V sententiam amplecti « Communitatis » (7), alii existimant, quod

(1) « Communitas » dicitur illa pars Ordinis « Spiritualibus » opposita, quae distinguebatur propter benignorem, aliquando laxam Regulae interpretationem. En thesis Communitatis in hac re: « Paupertas, prout accipitur pro abdicatione dominii et proprietatis rerum, cadit sub voto; prout autem accipitur pro pecunia et artitudine in usu, non cadit sub voto, sed est de condecoria status ». Cf. A F H, t. X, 1917, p. 106; H. HOLZAPFEL, *op. cit.*, p. 49; P. GRATIEN, *op. cit.*, p. 397-405.

(2) Cap. Unic. I, 11 in Clem.

(3) C. 1. V, 11 in Clem.

(4) « Dicere autem sicut aliqui asserere perhibentur, quod haereticum sit tenere usum pauperem includi vel non includi sub voto evangelicae paupertatis, praesumptuosum et temerarium iudicamus ». C. 1, V, 11 in Clem. c. 1199.

(5) Cf. *Archiv für Literatur und Kirchengeschichte*, t. II, p. 139.

(6) *Ibid.*, t. III, p. 25-26; cf. etiam *Chronica XXIV Generalium*, in *Analecta Franciscana*, t. III, p. 459.

(7) Ita H. HOLZAPFEL, *op. cit.*, p. 54; P. GRATIEN, *op. cit.*, p. 472.

magis accedit ad placita « Spiritualium » (1), et alii affirmare malunt « Summum Pontificem hic nihil innovasse et potius Communitatis sententiam, quam placita Spiritualium amplecti » (2).

His iam praelibatis, melius modo possumus in hac re Fr. Capuccinorum dijudicare conditionem.

Art. 2. — FRATRUM CAPUCCINORUM CONDITION

37. — Reformatio nostra in hac quaestione speculativa media incessit iustaque via inter supra allatas oppositas sententias, quae potest breviter sic describi: rerum usus, sive pauper, sive moderatus non pertinet ad essentiam voti seraphicae paupertatis, attamen vere, licet non essentialiter, cadit sub voti obligatione. Quibus verbis exprimitur Fratrum Capuccinorum ideo-
logia primo saeculo durante.

1º Rerum usus, unus alterve, non includitur « essentialiter » in voto paupertatis.

Hanc quaestionem theoreticam non inveni explicite in Ordo nostro propositam ante secundam saeculi XVI medietatem, nihilominus invenitur implicite soluta, sensu illi Spiritualium omnino contrario, cum usus rerum pauper seu strictus declaretur obligatorius solum in casibus a Regula Seraphica explicite imperatis; in aliis vero casibus usus permittitur moderatus; quam doctrinam Ordo tenet saltem ab anno 1536 (3). Post medietatem vero saeculi XVI non pauci expositores Capuccini quaestionem sub aspectu theoretico agitant et unanimiter solvunt cum Petro Aureolo et Communitate, docendo essentiam seraphicae paupertatis in totali iuris abdicatione unice reponendam esse, non autem in limitatione seu arctatione usus (4).

Si Ordo noster ex hac parte sententiam Communitatis am-

(1) Ita Card. F. EHRLE, in *Archiv für Literatur*, t. III, p. 41 et 448; RENÉ DE NANTES, *Histoire des Spirituels*, p. 336, 382, 383, Paris, 1903; FRÉDÉGAND CALLAËY, *Étude sur Ubertin de Casale*, p. 192.

(2) A. HEYSSE, in A F H, 1917, t. X, p. 113.

(3) Vide *infra*, p. 211.

(4) Cf. SILVESTRO D'ASSISI, *Dichiaratione della Regola dei Frati Minori*, f. 193-194; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 83, p. 529, n. 86, p. 535; BARTHOLOMAEUS VECCHI, *op. cit.*, disp. V, dub. X; CYPRIANUS CROUSERS, *op. cit.*, cap. VI, p. 420; CYRILLUS A BERGOMO, *op. cit.*, p. 65 et sq. praesertim p. 67-68, n. 13-16, et 12, n. 5-6.

pleteitur, magis ad modum agendi Spiritualium accedit in his quae sequuntur.

2º Limitatio in rerum usu, licet non essentialiter, vere tamen sub voto paupertatis cadit.

Assertio illa, secundum quam nullo excessu in rerum usu promissa voti paupertas violabatur, dummodo deesset rerum appropriatio, praecipue offenderat animos zelatorum paupertatis, ideo Religio nostra talem sententiam omnino respuit.

Cappuccini expositores Regulae ab ipso Ordinis exordio unanimi docent consensu limitationem quantitatивam et qualitatивам usus includi sub voto paupertatis. Hoc magno apparatu auctoritatum probat Ioannes a Fano ante 1539 (1) eamdemque sententiam propugnant Silvester Assisiensis (2), Hieronymus a Politio (3), Bartholomens Vecchi (4), Cyprianus Crouthers (5), licet non omnes convenient in docendo, qua ratione usus limitatio cadat sub voti obligatione (6). Sed praesertim nostra interest significare, quomodo ipsa Ordinis legislatio propria saepe eamdem doctrinam magis vel minus explicite enuntiet, vel supponat, ut nostrarum Constitutionum textum intente perlegenti statim apparet. Et re quidem vera, usus limitatio in vestitu (7), in calceamentis (8), in victu (9), praescribitur, ut aliquid ad seraphicam paupertatem spectans; ipsius mendicationis arctatio, iuxta ipsas Constitutiones, observanda est, ut promissa paupertas non violetur (10); immo asserunt fratres voto promisso paupertatem

(1) Cf. *Dialogo de la salute*, p. 54 sq.

(2) *Dichiaratione della Regola*, f. 193 r.

(3) *Expositio cum dubiis*, cap. VI, n. 90, p. 540: « Tu dic, sicut antiqui fratres nostri omnes dixerunt et determinaverunt; usum moderatum includi in voto professionis nostrae ».

(4) *Disputationes*, disp. V, dub. X.

(5) *Lectiones paraeneticae*, cap. VI, p. 420.

(6) Limitatio usus non includitur essentialiter in voto paupertatis, includitur tanquam accidens proprium « quod quidem extra rei essentiam esse conceditur, necessario tamen illam comitatur et sequitur, eique connectitur, a qua et fluit, secundum naturae cursum, et exigentiam, ut albedo in cycno ». Ita CYRILLUS A. BERGOMO, *op. cit.*, p. 72, n. 6.

(7) Cf. *Const. 1536*, n. 23, 27.

(8) Cf. *Const. 1536*, n. 26.

(9) Cf. *Const. 1536*, n. 53.

(10) Cf. *Const. 1536*, n. 16, 83.

in conventibus, cellis, ecclesiis custodiendam (1); parcitatem de-
nique in rerum usu ad evangelicam paupertatem spectare asse-
runt (2).

Quae omnia absque dubio demonstrant, quomodo Ordo no-
ster ab initio, iuxta doctrinam ante lites exortas traditionalem (3),
limitationem in rerum usu considerabat ad votum paupertatis
pertinere.

38. — Corollarium, ex omnibus hucusque relatis, sponte
fluens, sub aspectu iuridico vere singulare, est: Ordinem nostrum
omnesque personas sive physicas sive morales intra Ordinem vi
voti paupertatis omni capacitate patrimoniali privatas esse.
Proinde merito docetur a canonistis capacitatem patrimonialem,
a fortiori patrimonium realiter possessum, non esse personae
moralis essentiale constitutivum, et exemplo confirmatur falsi-
tas sic dictae *Zweckvermögens-Theorie* (4).

Haereditas, portio, patrimonium nostrum est illud pauperum,
i. e. mendicitas, secundum Seraphici Patris verba: « Haec (pau-
pertas) sit portio vestra, quae perducit in terram viventium, cui,
dilectissimi fratres, totaliter inhaerentes nihil aliud pro nomine
Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub coelo habere veli-
tis » (5)

(1) Cf. *Const. 1529*, n. 47; *Const. 1536*, n. 73: « Ne li Frati permettino che
per loro sianno fabricati (lochi), se non saranno secundo la sanctissima povertade,
quale havemo promessa ». Haec verba in *Const. 1552* ita immutantur: « se non
saranno convenienti all'altissima poverta santa, che nella Regola promessa col
voto habbiamo » (n. 73).

(2) Cf. *Const. 1536*, n. 67.

(3) Cf. P. GRATIEN, *op. cit.*, p. 404.

(4) Cf. GOMMARUS MICHEIJS, *Principia generalia de personis*, p. 366-367; WERNZ-
VIDAL, *De Personis*, p. 27 in not. 2.

(5) *Regula S. Francisci*, c. VI, ed. cit., p. 69.

S E C T I O II

DE EXTENSIONE PAUPERTATIS FRATRUM MINORUM CAPUCCINORUM

39. — His de essentia paupertatis dictis ; nunc de eius extensione est agendum. Plura, quae subsequentia capita complectuntur, continentur implicite in doctrina tradita in sectione prima, non tamen facile percipiuntur, nisi separatim pertractentur. Tribus capitibus absolvimus materiam de extensione paupertatis Capuccinorum. Primo quidem agitur de extensione paupertatis Capuccinorum « praesertim quatenus Mendicantes » sunt ; deinde sermo erit de Ordinis incapacitate « contractuali » ; demum de bona temporalia adquirendi praesertim « testamentis et legatis » incapacitate dicendum erit.

C A P U T I

DE PAUPERTATE FRATRUM MIN. CAPUCCINORUM QUATENUS SUNT MENDICANTES

40. — In hac materia de paupertatis Fratrum Capuccinorum extensione percurrenda duo sunt quae semper pree oculis haberi oportet :

1º Capuccinorum Ordo est vere mendicans ex Regula ;
2º eius mendicitas est tota singularis, propter Regulæ praeceptum, quod in voto clauditur paupertatis, nihil iuris sibi in res temporales reservandi ; sed merum usum facti. Cum Fratres Capuccini sint vere Mendicantes, sequitur, quod illis in tota amplitudine et iuris rigore applicanda est doctrina pro Mendicantibus in genere tradita, non tamen simpliciter sed cum modicitate illa, quae ex sua speciali conditione in materia paupera-

tis necessarie exoritur. Id autem et in hoc capite, dum agitur de extensione paupertatis Capuccinorum praesertim quatenus sunt Mendicantes, non debet excidere ex memoria.

His animadversis, ad exponendam materiam duobus articulis procedimus: in primo summatim dicemus de nostri Ordinis incapacitate bona immobilia possidendi; in secundo de Tridentina dispositione circa Capuccinorum paupertatem.

Art. 1. — INCAPACITAS BONA IMMOBILIA POSSIDENDI

41. — Sub nomine Mendicantium veniunt iure Decretalium illi Ordines religiosi, qui ex Regula vel Constitutionibus non poterant in communi ut propria possidere bona immobilia, sed de incerta tenebantur mendicitate vivere (1).

Vi voti et obligationis paupertatis in communi prohibetur Mendicantibus bona habere immobilia, sub quo nomine, non solum bona immobilia in sensu stricto veniunt, sed ea omnia, quae possunt incertam mendicitatem tollere, et ideo iuridice immobilibus bonis aequiparantur, licet proprie immobilia non sint (2). Nomine bonorum immobilium ergo intelligenda sunt bona immobilia proprie dicta, sic dictae possessiones, et certi stabilesque reditus (3). Pauca de singulis.

1º *Immobilia proprie dicta.*

Sensu proprio immobilia bona sunt domus, fundi, viridaria, etc. Vi professionis paupertatis in communi tenebantur mendicantes in primis ad non habenda bona immobilia proprie dicta «in sustentationem» religiosorum tanquam propria, tamen nec iuris communis, aut voti ratione prohibebantur aliqua bona immobilia possidere, quae ad finem sustentationis non ordinabantur, sed ad habitationem tantum, vel ad divinum cultum, ut domus, aedes sacra, hortus (4).

Fratres Capuccini, qua Mendicantes, prohibentur et ipsi bona immobilia in sustentationem religiosorum possidere ut propria;

(1) Cf. c. 4, 6, X, III, 35; c. unic., III, 17 in VIº.

(2) Cf. F. SUAREZ, *Opera Omnia*, t. XV, lib. VII, n. 33.

(3) Cf. J. AZORIUS, *op. cit.*, lib. XII, cap. XXIII, c. 1576.

(4) Cf. T. SANCHEZ, *op. cit.* t. XV, lib. VIII, cap. XVII, n. 7; J. AZORIUS, *op. cit.*, lib. XII, cap. XXIV, c. 1585. Singulis autem religionibus latius, vel strictius hoc permittebatur iuxta propriam Regulam, vel institutum. Cf. ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. I, p. 275; c. 3, 14 in Extrav. Joannis XXII, c. 1226.

prohibentur insuper quodcumque bonum immobile possidere, et illis tantum indulgetur usus facti illorum immobilium, quorum ceteri Mendicantes etiam poterant per se dominium habere, i. e. conventus ad habitandum, ecclesiae ad divinum cultum, horti ad religiosorum levamen (1). Aliorum immobilium nec proprietatem, nequidem simplicem usum facti potest Religio nostra iuridice obtinere.

2º *Possessiones.*

42. — Sub nomine possessionum, iuxta Regulae Seraphicae expositores illius temporis, veniunt res illae, animalia praesertim, quae successive fructificant, ut ovium, vaccarum armenta, etc. Animalia ista in rigore iuris mobilia sunt bona, si singula considerentur individua, tamen habita ad hoc, ut per continuam successionem conserventur et fructus ferant, tanquam perpetua possidentur et sub hac morali consideratione immobilia reputantur atque iuridice immobilibus bonis aequiparantur (2).

Unde nec vaccas, nec iumenta, nec apes, nec columbas, nec gallinas, et cetera huiusmodi fratres possunt habere per se ipsos, neque permettere ut alii habeant ad fratrum necessitates sublevandas. Talia enim maxime excludunt incertam mendicitatem, quae adnexa est professioni paupertatis collectivae (3).

(1) Cf. c. 1, V, 11 in Clem. c. 1198. Cf. F. SUAREZ, *loc. cit.*, lib. VIII, cap. XVII, n. 6, p. 663, et cap. IX, n. 17; J. DE LUGO, *op. cit.*, disp. III, sect. IV, n. 74; L. LESSIUS, *op. cit.*, lib. II, cap. IV, sub. 5. et omnes Regulae expositores ad cap. VI.

(2) Cf. F. SUAREZ, *loc. cit.*, lib. VIII, cap. XVII, n. 9-11, p. 664; est doctrina communis expositorum Regulae. Cf. ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. 10, p. 321; HIERONYMUS A SORBO, *Compend. privileg.*, v. paupertas, p. 299.

(3) Cf. c. 1, V, 11 in Clem. c. 1198. Est doctrina communiter inter Regulae expositores recepta. Cf. auctores supra allatos: HIERONYMUM A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 44, p. 482; BARTHOLOMAEUM VECCHI, *op. cit.*, disp. V, dub. 1. Nonnulli expositores nostri iure meritoque docent quod paupertati non derogat aliquas gallinas nutrire ad habenda pro infirmis óva recentia, ita inter alios CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. X, p. 329; H. a POLITIO et B. VECCHI loc. citatis; pariter arbores habere fructuosas, ut oleae, vel vineæ ad concedendum fructus, non ad oleum, vel vinum colligendum pro fratrum provisione. Cf. SANTI TESAURO, *Expositione sopra la Regola*, cap. VI, p. 300; BARTHOLOMAEUS VECCHI, *op. cit.*, disp. V, dub. I. Legislatio tamen capuccina Reformationis initio rigidior fuit. *Const. 1536* prescribunt, ut vites e nostris hortis evellantur de consensu dominorum (n. 80). Circa annum 1529 priisci illi Patres vineam in conventu S. Luciae Montis Melonis (Monte Melone) plantatam resecarunt dicentes sibi non licere possidere vineas.

3º *Reditus.*

43. — Interdictum est quoque Mendicantibus vi paupertatis in communi reditus certos stabilesque percipere in sustentationem religiosorum.

Reditus ius est actione civili munitum ad aliquid determinato tempore, e. gr. annuatim, percipiendum (1).

Reditus annui aliquique certi et stabiles a iure inter bona immobilia computantur, et ideo prohibentur etiam Mendicantibus, quorum paupertati repugnant, praecise ex eo, quod thesaurizationem aliquam et provisionem in futurum praeseferunt, quae mendicitatis incertitudinem destruunt (2).

Alia potiori quidem ratione Regulæ Seraphicae professoribus omnes omnino reditus prohibentur, scilicet, ob plenam eorum incapacitatem ad iura aliqua in bona temporalia externa possidenda (3). Ideo iure illi Mendicantes, qui altissimam paupertatem in communi profitentur, quidquid fixum et stabile est ad vitae sustentationem, ut immobilia bona, possessiones, reditus, habere prohibentur, ita ut tamquam advenae et veri peregrini in hoc saeculo ambulare cogantur.

Haec Fratrum Capuccinorum paupertas in communi a Reformationis exordio usque ad Concilium Tridentinum fuit sancte et inviolabiliter custodita, reiectis omnibus privilegiis pontificiis relaxativis (4). Concilium Tridentinum illam solemniter recognovit,

Cf. A O, 1908, t. XXIV, p. 22. Legislatio vero sequens sine dubio ad abusus impediendos decernit, quod nec vineae, nec arbores in hortulis excidantur sine Vicarii Provincialis licentia. *Const. 1552*, n. 80.

(1) Cf. ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. X, p. 32 st.; definitio ista recepta fuit a nonnullis expositoribus Capuccinis huius primi saeculi, Cf. HIERONYMUS DE SORBO, *op. cit.*, v. paupertas, p. 298; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 42, p. 480.

(2) Cf. c. 1, V, 11 in Clem. c. 1197.

(3) Cf. Abbas Panormitanus, *Commentaria in Decretalium Libros*, t. VII, cap. XVII, p. 186, Venetiis, 1617; F. SUAREZ, *loc. cit.*, lib. VIII, cap. XVII, n. 17, p. 666. Expositores omnes ad caput VI; IOANNES A FANO, *Discorso circa l'osservanza della povertà*, in A O, t. XXVII, p. 233.

(4) Cf. Breve Martini V *Ad Statum Ordinis*, 23 aug. 1430: B F, VII, 739. Hoc Breve a Sixto IV fuit confirmatum per Litteras *Dum fructus uberes*, 28 febr. 1471, apud Wadding., *Annales*, t. XIV, 538, quarum vi Fratres Minores per procuratorem Romanæ Ecclesiae poterant liceite possessiones, reditus et cetera habere ad communem utilitatemque fratrum. Talia privilegia fuerunt in Constitutionibus capuccinis renuntiata.

roboravit et absolute custodiendam decrevit dispositione, quam nunc perpendere et in sua parte historica dilucidare intendimus.

**Art. 2. — DISPOSITIO TRIDENTINA CIRCA CAPUCCINORUM
PAUPERTATEM**

44. — Concilium Tridentinum nonnullas induxit mutationes in paupertate Mendicantium, talis quidem momenti, ut novam indicent aetatem in eorum iuridica historia. Quod quidem factum est in cap. 3 Decreti *de regularibus et monialibus* publicati in sessione IX sub Pio IV, quae fuit XXV et ultima Concilii, die 3 decembris an. 1563. In hoc decreto concesserat « *Sancta synodus omnibus monasteriis et domibus, tam virorum quam mulierum et Mendicantium, exceptis domibus Fratrum Sancti Francisci Capuccinorum et eorum, qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum aut ex privilegio apostolico non erat concessum ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat* » (1).

Pars dispositiva huius capituli decreti Tridentini perspicua est tum in generali concessione, tum in exceptionibus appositis, quarum vi status nostrae in communi paupertatis recognoscitur et in pristina puritate decernitur etiam in futurum custodiendus. Pars tamen historica huius exceptionis Fratrum Capuccinorum non est ita perspicua.

Cum tamen magni sit pro nobis momenti, propterea hic aliquatenus immorandum esse opportunum ducimus, ut hanc quaestionem illustrare possimus.

Cur Fratres Capuccini a generali Concilii permissione excipiuntur?

Indubia facta in hac re sunt primo significanda:

1º Decretum de reformatione Regularium, seu melius schema, Patribus ad examen exhibitum est die 20 novembris an. 1563, et die 3 mensis decembris eiusdem anni in textu definitivo publicatum.

2º Schema examinandum Patribus Conciliaribus traditum a concessione omnibus Mendicantibus facta tantummodo exci-

(1) STEPHANUS EHSES, *Concilii Tridentini Actorum pars sexta*, t. IX, sess. XXV., Æ ref. c. 3, p. 1080, Friburgi Brisgoviae, 1924.

piebat fratres « Ordinis S. Francisci, qui Minores de Observantia vocantur », non autem Fratres Capuccinos (1).

3º Decretum vero die 3 decembris publicatum excipit primo loco Fratres Capuccinos simul cum Minoribus de Observantia. Cuinam vero assignanda haec textus mutatio ?

Perquiramus lucem in Actis Concilii.

Textus mutatio, vi cuius etiam Capuccini a generali conces-sione excluduntur, facta est a die 27 novembris, quo absolvitur examinatio canonum de regularibus et monialibus, ad diem 3 decembris, quo decreti textus definitivus publici iuris evadit. Acta Concilii evolvendo apparet aliquid mirum talis textus mutatio. En admirationis ratio. Discussio canonum de regula-ribus fuit peracta in Congregationibus habitis diebus 23 usque ad 27 novembris (2); licet plerique inter Patres, una aliave ducti ratione, «non placet» de praedicto canone conclamaverint, nul-lus temen expressis verbis pro Capuccinorum exceptione inter-cessit, immo sententia Patrum sacri Concilii praevalebat ad omnem exceptionem auferendam, ita enim constat ex summa censurarum, quae fuerunt adversus hos canones reformatarios factae: In 4: *Tollantur exceptiones*, et ibi *bona stabilia* « addatur in communi » (3).

Defectus favore Capuccinorum intercessionis non est certe adscribendus Patrum inconsiderationi, vel eorum ignorantiae Ordinis nostri, nam licet Reformatio nostra tantum 35 annos vitae legalis habuisse, plenissime iam agnoscebatur a Patribus Concilii, qui Capuccinorum iura hac etiam occasione tutantur strenue in re tamen omnino diversa.

Can. 3 *de reformatione Regularium*, immediate nostro canoni praecedens, precipiebat, ut in singulis Ordinibus aequalitas in vestitu servaretur (4); ideo Capuccini, qui iuridice adhuc erant

(1) « Concedit sancta synodus omnibus Mendicantibus, exceptis fratribus Ordinis S. Francisci, qui Minores de Observantia vocantur.... ut deinceps bona im-mobilia eis possidere liceat». Can. 4, in ST. EHSES, *loc. cit.*, p. 1037; cf. etiam A. THEINER, *Acta Concilii Tridentini*, t. II, p. 485, Zagabriae, 1874.

(2) Cf. ST. EHSES, *op. cit.*, t. IX, p. 1044-1067: corrigendus est L. Pastor, qui scripsit: a 23 usque ad 25 novembris canonum protractam esse discussionem. Cf. *Storia dei Papi*, t. VII, p. 259. Nota etiam, quod «canones» dicimus et non capita, quia in schemate divisio erat per canones.

(3) Cf. ST. EHSES, *ibid.*, p. 1067.

(4) Cf. ST. EHSES, *ibid.*, p. 1036.

sub Ministro Generali Conventualium, iuxta praeceptum huius canonis, Conventualium habitu uti tenerentur; sed complures Patres strenue Capuccinos protegunt: « Habeatur ratio Capuccinorum, ne perturbentur a suo modo vivendi »; excipientur Capuccini; « ne fiat praeiudicium vitae sanctae Capuccinorum » (1), haec similiaque verba plures aperte proferunt, alii autem adhaesione roborant propria. Huius tertii canonis impugnatio eo fuit successu peracta, ut in decreto definitivo penitus fuerit suppressus (2). Ergo altum Patrum silentium circa non exceptionem Fratrum Capuccinorum a canone 4 tanquam positiva approbatio interpretandum est. Summa censurarum can. 4 absque dubio idem nobis ostendit.

Nihilominus in decreto die 3 decembris publicato, primo loco excipiuntur Capuccini a concessione conciliari. Inde apparet etiam cur dicebamus paulo supra exceptionem Capuccinorum fuisse obtentam in spatio dierum, qui a 27 novembris ad 3 decembris decurrunt.

Itaque in actis Concilii minime apparet cuinam haec textus mutatio, quae Fratres Capuccinos excludit, tribuenda sit. Hoc unum ex illis certe deducitur, iuxta plurium Patrum sententiam, aperte in congregationibus patefactam, « Capuccinos non indigere reformatione » (3). Sed exinde aliquatenus potest quaestio illustrari, non tamen pleno lumine perfundi. Aliqui chronographi nostri, qui primo hoc saeculo scripsérunt, abundantiores huius rei nobis praebent notitias, quae tamen componi debent cum his, quae in Actis Concilii leguntur. Ordinis nostri Annalista, Z. Boverius, refert exceptionem Fratrum Capuccinorum fuisse in cap. 3 decreti de regularibus receptam propter tempestivum interven-

(1) Cf. *Ibid.*, p. 1052, 1053, 1054, 1055, 1057.

(2) Cf. *Ibid.*, p. 1080.

(3) Ita inter alios Arch. Bracarensis, Bartholomeus de Martyribus O. P., qui iudicium suum emittendo de canonibus reformatoriis dixerat: « Quoad Regulares non placet reformatio ista, cum non tangat radices morbi. Sunt tria genera vivendi regularium: aliqui vivunt bene, aliqui mediocriter, alii pessime. Bene vivunt Scappuconi, qui fovendi et amplectendi sunt. Mediocriter vivunt Observantes. Qui primi et secundi non indigent nostra Reformatione. Qui autem pessime vivunt, exterminandi ». St. EHSES, *op. cit.*, p. 1047-1048. Pariter Capuccinos inter alios defenderant praecipue Episcop. *Justinopolitanus* (Capo d'Istria) Thomas Stella O. P. (St. EHSES, *ibid.*, pag. 1054), *Aquensis* (Acqui Liguriae) Petrus Faunus Costacciarius, (cf. *ibid.*, c. p. 1061), et *Civitatis Castelli* (Città di Castello) Constantinus Bonellus (*ibid.*, p. 1063).

tum Vicarii Generalis Ordinis nostri, Thomae a Tiferno (Città di Castello), qui cum inter Concili Patres, de bonis immobilibus omnibus religiosorum Ordinibus concedendis, tractari inteligeret, omnium tam mobilium quam immobilium bonorum possessioni aperte renuntiavit et S. Francisci Regulam, quae bonorum omnium possessionem prohibet, se cum toto Ordine pure, et secundum Regulam ac S. Francisci mentem observare velle declaravit (1).

Interventionem istam Vicarii Generalis nec unice nec primus memorat Boverius, sunt et alia antiquiora testimonia eandem rem nobis edocentia (2). Aliunde interventus fuit revera facilis, quia P. Thomas a Tiferno certe ultimis interfuit sessionibus Concilii Tridentini (3), licet inter Generales Ordinum in sessione ultima non inveniatur eius subscriptio (4); immo nostri Vicarii Generalis instantia facile munimime auctoritatis Patrum, qui pro Capuccinis adlaboraverant, potuit roborari, illo praesertim Archiepiscopi Bracarensis; hoc autem indicare videtur eius responsum ad caput tertium post decretorum lectionem in textu de-

(1) Cf. Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, an. 1562, p. 587, I. Boverius tamen tempus interventionis nostri Vicarii Generalis indicat annum 1562, in quo certe errat, nam, ut diximus, decretum de regularibus exhibitum die 20 novembris 1563 et discessum a die 23 ad diem 27 eiusdem mensis Capuccinos minime excipiebat. Addit etiam Boverius, l. cit.; «haec Thomae protestatione permotus Generalis Minorum observantium Minister, is quoque bonis omnibus immobilibus sni Ordinis nomine renuntiat». Quod de Ministro Generali hue asserit Boverius, non de ipso, sed de Fratribus Observantiae Concilio praesentibus scripsit antea Rodericus, iuxta quem post nostri Vicarii Generalis protestationem nonnulli Fratres de Observantia eius exemplo moti, id ipsum pro suo Ordine adprecarnit; nam Generalis Observantiae tunc temporis non aderat Concilio. Cf. EMMANUEL RODERICUS, *Quaestiones Regularis et Canonicae*, t. III, q. 29, art. 14, p. 83; Turnoni, 1609. Haec autem difficulter componantur eum his, quae ex Actis Concilii certo constant, nempe, quod Fratres de Observantia, a primo momento excipiuntur a concessione Tridentini, Capuccini vero solum in textu definitivo.

(2) Cf. E. RODERICUS, *op. cit.*, t. III, q. 29, art. 14, p. 83; pariter testimonium huius Vicarii Generalis instantiae invenitur in Ms. 4253, sub numero 118, Bibliothecae Municipalis Tridentinae, *Raccolta di documenti del Concilio di Trento nella Congregazione del 16 giugno 1563*, p. 336. Cf. PAOLINO DA CASACALENDA, *I Cappuccini nel Concilio di Trento*, in *Collect. Francisc.*, 1933, t. III, p. 580, not. 2.

(3) Cf. D. MANSI, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio*, t. XXXIII, p. 209, Parisiis 1902.

(4) Cf. ST. EHSES, *op. cit.*, t. IX, p. 1119; A. THEINER, *op. cit.*, t. II, p. 509-513; PALLAVICINO, *Istoria del Concilio di Trento*, t. X, lib. 24, cap. 8, n. 13, Mendusio, 1836.

finitivo, sessione die 3 decembris factam: « displicet, dixit Brahamensis, quod non absolute excipientur omnes fratres S. Francisci a facultate possidendi immobilia » (1).

Hunc in modum Reformatio Capuccina post quadraginta fere annos suae exsistentiae, in quibus nec paucis, nec parvis fuit probata laboribus, plenam solemnemque obtinuit in Concilio Tridentino paupertatis suae et exsistentiae separatae legalem recognitionem, quod mirum in modum Ordinis vitalitatem adauxit (2).

(1) Cf. ST. EHSES, *op. cit.*, t. IX, p. 1094 et A. THEINER, *loc. cit.*, p. 503.

(2) Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. I, p. 480.

CAPUT II

DE ORDINIS INCAPACITATE CONTRACTUALI

45. — Iuxta communem doctorum sententiam tantummodo illi capacitate gaudent contractuali, qui liberam habent rerum suarum administrationem (1). Ordo Fratrum Min. Capuccinorum et ceterae intra Ordinem personae sive morales sive physicae cum nihil tanquam proprium habeant, nec possint habere, nullius rei temporalis libera gaudent administratione, ideo sunt quoque qualibet capacitate contractuali penitus destitutae.

Nullum possunt, sensu proprio et stricto, perficere contractum, nec illos, quibus rerum proprietas acquiritur, vel alienatur, ex hoc contractus proprietatis dictos, nec illos, qui quomodolibet ius aliquod in res temporales supponunt.

Cum tamen conventiones sint vitae sociali necessariae, aliquo modo et Fr. Capuccinis licitum esse oportet propriis necessitatibus subveniri. Contractus ad hoc licite, et legaliter ineunt, sed tali modo, ut figura iuridica veri contractus omnino deficiat, et solum sensu lato et impropprio contractus nominari possint.

Quid ergo Capuccinorum Ordo in hac contractuali materia non possit, et quid licite et legaliter possit, praecipue circa contractus proprietatis, modo videre volumus. Cum doctrina generalis saepe saepius fuerit a Regulae expositoribus fuse pertracta, illa nunc summatim attingitur; potius singularitates, Ordini nostro propriae in re ista primo decurrente saeculo, declarantur.

Art. 1. — DE CONTRACTIBUS PROPRIETATIS

46. — Per contractus proprietatis dominium rerum vel ac-

(1) Cf. ALBERTUS A BULSANO, *Expositio Regulae*, n. 286, p. 389.

quiritur, vel alienatur. Praecipui proprietatis contractus sunt *emptio, venditio, donatio, commutatio*.

Facile apparet, quod ubi rei proprietas omnino tollitur, omnis contractus, proprietati obnoxius, removetur; hoc in Ordine nostro plene accidit.

A) *De emptione — venditione.*

47. — 1º) Communiter *emptio* definitur « *pactio pretii pro merce* », et, iuxta Doctores, ille proprie emere dicitur, qui ad pretium pro re empta solvendo ex ipso emptionis contractu obligatur; talis obligatio supponit in emente dominium pretii seu pecuniae.

Cum Ordo noster sit incapax rei alicuius proprietatis, et ipse usus pecuniae — a fortiori dominium — sit Regulae Seraphicae professoribus vetitus, absque difficultate consequitur, quod ipse Ordo contractum emptionis proprie inire nequit (1).

Si autem *emptio* sensu lato accipiatur, ut evenit cum in *pre-
tio rei emenda* convenitur et, exclusa omni solvendi pretium civili obligatione, bona fide promittitur pro re empta pretium procurare, hoc modo fratres, secundum Nicolai III doctrinam et expositorum sententiam, licite emere possunt (2).

Emptio vero, quae nullam dicat obligationem civilem, rerum proprietatem, aut pecuniae usum, impropprio tantum modo *emptio* dicitur; tamen Fratres Minores tantum hoc modo *emptio-* *nen* licite peragere possunt (3).

48. — 2º) *Venditionis* contractus est « *pactio mercis pro pre-*

(1) Haec est doctrina ab omnibus Regulae expositoribus tradita in cap. VI, qui confitentur illam mediate, vel immediate a quattuor Magistris accipere. Cf. *Expositio quattuor Magistrorum*, in *Monumenta Ordinis Minorum*, t. II, f. 22, Salmanticae, 1511; B. BRENDULINO, *Expositione de la Regula*, cap. VI, 137v; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 19, p. 441.

(2) C. 3, V, 12 in VI, c. 1115; et Expositores ad cap. VI, ut SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. VI, p. 278.

(3) Si vis, plura videre potes in Regulae expositoribus qui ad cap. VI generaliter verba illa exponunt Quattuor Magistrorum: « *Emere* dicitur tribus modis. Primo modo dicitur *emere*, de *pretio rei emenda* convenire. Alio modo dicitur *emere*, *solutionem rei empta* procurare et his duobus modis possunt fratres *emere*. Alio modo dicitur *emere*, *pecuniam vel precium pro re dare* et hoc modo non possunt fratres *emere* ». Apud *Mon. Ord.*, t. II, f. 22v.

tio ». Venditor rem propriam in emptoris transfert dominium, acquirens primum ius exigendi pretium et, pretii traditione facta, ipsius pretii dominium.

Ratio incapacitatis Ordinis nostri ad hunc contractum sensu proprio perficiendum, est illa fundamentalis paucis his verbis expressa : Ordo nihil ut proprium possidet, est omnis iuris civilis incapax, nummorum receptio interdicitur ; nihil ergo in alterius potest transferre dominium, neque ius in pretium, nec pretium ipsum sibi comparare. Vendi poterit, docent expositores, modo valde improprie venditionis, scilicet, si Ordo rem aliquam alteri omnino relinquit, et loco ipsius absque dominio vel iure aliquo aliam ad simplicem usum facti recipiat ; sed, ut bene animadvertis A. de Corduba (1), hic modus vendendi magis ad rerum commutationem accedit.

Interdum vero res, quae sunt ad usum fratrum, una alterave causa vendere opus erit. Modus procedendi licitus in casu est iam definitus in iure: venditionis negotium tantum rerum domini, vel personae ab ipsis deputatae facere possunt. Rerum, domini, quibus Ordo et fratres utuntur, aut benefactores sunt, qui usum concedentes, dominium sibi reservant, aut, in casu contrario, Apostolica Sedes, ut infra fusius declarabitur.

Si res vendenda, fratribus iam non necessaria, vel minus utilis, ad Sedem Apostolicam pertineat, per syndicum praedictae Sedis vendi potest, qui rei pretium ipse accipit, et in alias fratrum necessitates expendit (2). Si vero in benefactorum sit dominio, ipsis per se, vel per personas ab eis delegatas, totum debent venditionis negotium perficere.

Hac iuridica ordinatione altissima Ordinis paupertas intamnata relinquitur, et simul fratrum indigentiis praebetur levamen.

Nonnullae agitantur huc a Regulae expositoribus quaestiones (3), inter quas duas tantummodo pertingimus, in quibus Ordo Fratrum Capuccinorum peculiarem assumit positionem.

(1) *Op. cit.*, cap. VI, q. III, p. 294-295; GREGORIO DA NAPOLI, *Regola unica del Serafico S. Francesco*, cap. VI, p. 251; SILVESTRO D'ASSISI, *op. cit.*, f. 173v.

(2) C. 3, V, 12 in VI, c. t118. Syndicus persona dicitur, quae nomine Apostolicae Sedis ad aliqua fratrum negotia expedienda deputatur. Cf. *infra*, p. 140.

(3) Cf. CYPRIANUS CROUSERS, *op. cit.*, cap. VI, p. 371; P. MARCHANT, *op. cit.*, cap. VI, p. 355-363; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 20, p. 443.

Prima sic exprimitur: Syndicus Apostolicus habetne facultatem vendendi tantum bona mobilia, quae sunt ad usum fratrum, cum aut non necessaria fiunt, aut minus utilia, vel eius potestas distenditur etiam ad venditionem immobilium?

Aliqui expositores concessionibus innixi Martini IV, Leonis X et Concilii Constantiensis (1) affirmarunt syndicum vendere posse etiam res immobiles, quae fratribus utiles esse desinant (2). Haec vero doctrina nunquam fuit in nostro Capuccinorum Ordine recepta. Expositores nostri et, modo officiali, capitula generalia non semel docuerunt Ordinem tantum uti posse syndico Nicolai III, qui ea dumtaxat gaudet potestate vendendi eas res mobiles, quae nostro iam usui fuerint, et amplius utiles non existant (3). Ad bona immobilia vendenda, quae sunt ad usum fratrum et in Sedis Apostolicae dominio, specialis requirebatur praedictae Sedis licentia.

Altera quaestio, non leviter inter expositores vexata, erat: an fratribus res aliquas emendicare liceat, ea intentione, ut vendantur per idoneas personas et earum pretium in alias fratribus necessarias convertatur (4).

In hac discussione, quae etiam liceitatem mendicationis attingit, Ordo noster, amore Regulæ puritatis ductus, tutiorem partem sibi elegit, scil. negativam.

Re quidem vera, sententia negativa, quae verbis illis Nicolai III innitebatur: «(Fratres) nec utensilia nec alia ... eo animo, ut ea detrahant sive vendant, recipient», (5) saepe magis vel minus explicite tanquam tenenda traditur in capitulis genera-

(1) Cf. A. CASARUBIOS, *Compendium privilegiorum*, v. «alienatio bonorum», p. 107-111.

(2) Cf. A. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. III, p. 296; P. MARCHANT, *op. cit.*, VI, p. 357.

(3) Cfr. *Cap. Gen. XXVIII* (1618), A O, t. V, p. 283; *id. XXIX* (1625), A O, t. VI, p. 75; *id. XXX* (1633), A O, t. VI, p. 14 s.; *id. XXXI*, (1637), A O, t. VI, p. 205, in quo clarissime decernitur: «Cum syndicus nobis permissus habeat facultatem dumtaxat vendendi eas res mobiles, quae nostro iam usui fuerint et amplius utiles non existant». Eandem tenuerunt ab initio sententiam Regulæ expositores capuccini pro suo Ordine. Cf. GIOVANNI DA FANO, *Dialogo de la salute*, p. 140; GIOVANNI DA TUSA, *Dichiaratione sopra la Regola*, f. 52-54; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 20, p. 443; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. VI, p. 200, 282, 296.

(4) Cf. P. MARCHANT, *op. cit.*, cap. VI, p. 358.

(5) C. 3, V, 12 in VI, c. 1114.

libus initio saeculi XVII celebratis (1), neenon a capuccinis Regulae expositoribus (2).

Doctrina hoc loco breviter exposita duabus periodis, in parte prima designatis, prorsus convenit, unica facta animadversione, i. e.: ubi Apostolicam Sedem vel syndicum scripsimus, tanquam non dictum pro periodo prima debet haberi, nam Regulae declarationibus pontificiis non receptis, bona, quae ad usum erant fratrum, prima periodo in dominio semper mansere benefactorum, ut erit postea declarandum.

B) *De commutatione.*

49. — Datur commutationis contractus, cum non pecunia pro merce, sed una res pro alia traditur, ex. gr. lana pro frumento. Duas memorant expositores commutationis species: unam quae fit cum aestimatione pretii, alteram sine illa. In ea, quae cum pretii aestimatione fit, res commutandae taxantur ad hoc, ut una vendatur, et alia in permutationem ematur. Taxatio seu aestimatio expressa esse debet (3). In altera vero res utrinque, velut invicem, communicantur absque pretii consideratione (4).

Huius divisionis momentum in eo est, quod res, quae aestimatione pretii permutatur, habet rationem pecuniae, cuius usus

(1) Cf. *Cap. Gen. XXX* (1633), A O, t. VI, p. 152 et clarius p. 157 ubi ad quaesitum: «Utrum Fratres possint quaerere granum et alia, vel cum Fabriceriis ire ad quaestuandum talia, ut postea vendantur vel commutentur, ut de pretio possimus fabricare? Resp.: Et ratione scandali et quia est contra Regulam, non debet fieri». *Cap. Gen. XXXI* (1637), A O, t. VI, p. 205; eadem doctrina traditur in Capitulis sequentibus. A O, t. VI, p. 307.

(2) Cf. GIOVANNI DA FANO, *loc. cit.*; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 21, p. 446; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. VI, p. 279.

(3) Ut paulo infra videbimus, fratres, iuxta concessiones pontificias, licite peragunt commutationem sine aestimatione pretii; sed si, ut habeatur commutatio cum aestimatione pretii, aestimatio tacita sufficeret, sequeretur nullam posse fratres commutationem peragere, nam, ut optime advertit Barth. Vecchi, in omnibus fere commutationibus, quae occurunt, intervenit discursus internus seu tacitus de valore rerum permundarum, quatenus permutatio scilicet secundum aequitatem fiat. Cf. *Disputationes*, disp. IV, dub. XIII, contra doctrinam A. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. IV, p. 301.

(4) Cf. P. MARCHANT, *op. cit.*, cap. VI, p. 364, ubi primam commutationem ci-vilem vocat, secundam naturalem; SILVESTRO D'ASSISI, *op. cit.*, f. 175v; SANTI TE-SAURO, *op. cit.*, cap. VI, p. 281.

est Fratribus Minoribus plene interdictus, ex quo etiam consequitur diversa huius commutationis iuridica ordinatio.

Cum contractus commutationis supponat in contrahentibus rerum dominium transferendum et iuridicam capacitatem sive rem propriam tradendi (obligatio), sive rem aequivalentem repetendi (ius), Ordo noster proprio nomine et auctoritate verum permutationis contractum perficere nequit (1).

Modus legalis sive licitus in hoc contractu custodiendus diuersus est, prout commutatio fiat aestimatione pretii, vel secus.

a) Commutatio quae fit aestimatione pretii, emptionis venditionis contractui aequiparatur; unde si res commutandae ad Sedem Apostolicam pertineant et immobiles sint, ex eiusdem Sedis Apostolicae speciali licentia per personam ab ipsa designandam sunt commutandae; si mobiles, iuxta concessionem Nicolai III (2), a syndico per Ministros Provinciales nominato praedictae Sedis nomine potest commutatio fieri, nunquam autem a fratribus.

Si res vero ad alios pertineant, ab ipsis, vel ab eorum substitutis debet commutatio fieri.

b) Commutatio, quae fit sine pretii aestimatione, aliter est iuridice ordinata.

Fratres possunt per se ipsos, cum expedit, de licentia Generalis Ministri vel Provincialis res mobiles ad S. Sedem pertinentes etiam extra Ordinem commutare in alias ipsis necessarias, iuxta Nicolai III in Decretali *Exitit* concessionem (3).

Attamen fratres id exsequentes, nullum ius habent vel exercercent, sed nudum ministerium; ius equidem transit in aliud mediante actione ministeriali fratum, sed transit per voluntatem domini, qui per sui actionem dominii translationem eiusdem dominii virtualiter operatur.

Si rerum dominium apud benefactores residet, fratres illas commutare hoc modo tantum possunt de dominorum licentia expressa vel, si necessitas urgeat, rationabiliter praesumpta (4).

Sicut in paragrapho praecedenti, quae in hac de Sede Apo-

(1) Cf. HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 21, 446 sq.

(2) C. 3, V, 12 in VI, c. 1118.

(3) C. 3, V, 12 in VI, c. 1118.

(4) Cf. *Quattuor Magistri*, *op. cit.*, in *Mon. Ord.*, t. II, f. 23r; HUGO DE DINA, *Expositio Regulae*, apud *Mon. Ord.*, t. II, f. 64r; B. BRENDULINO, *op. cit.*, cap. VI, f. 138v; GIOVANNI DA TUSA, *op. cit.*, 52v-53r; SILVESTRO D'ASSISI, *op. cit.*, f. 175r; LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, p. 377-378.

stolica dicta sunt, exsulant ab ordinatione iuridica huius matrariae in prima nostrae Reformationis periodo, 1528-1536.

Movetur hic quaestio suo momento non destituta, et speciale promerens attentionem, respectu ad commutationem rerum, quae emendicantur iam cum intentione illas commutandi.

Commutatio haec fieri potest vel extra vel intra Ordinem. Ut modus vero legalis, in his permutationibus servandus agnoscatur, interest prae primis stabilire quod res, quae eum animo illas extra Ordinem commutandi recipiuntur, iuxta sententiam in nostro Ordine hoc saeculo receptam, ad dominium Ecclesiae Romanae non transeunt, quia non sunt in propria specie ad usum fratrum (1); sed perseverant in dominio eorum qui eas elargiuntur; unde si extra Ordinem sunt commutandae, solum de expressa dominorum, vel probabiliter praesumpta licentia commutatio fieri potest. Huic tamen emendicationi et extra Ordinem commutationi primum expositores, dein ipse Ordo noster officiali modo resistunt.

Dectores non pauci, innixi quodam privilegio Leonis X (2), edocebant hoc saeculo Fratrum Minorum paupertati minime repugnare res superabundantes accipere, i. e. ultra eorum necessitates, ad hoc ut per syndicum commutarentur in alias necessarias (3). Alii vero animadvertisunt sedulo, quod fratres ab hac Leonis X concessione omnino caveant, quia est contra Nicolai III declarationem, relaxativa et destructiva nostrae strictae paupertatis (4).

Ordo noster, seraphicae professionis et illibatae observantiae zelator, etiam hic sequitur amplexatum practice tutiorismum in quaestionibus agitatis. Ioannes a Fano (5), Hieronymus a Sorbo (6), Hieronymus a Politio (7) talibus emendationibus et com-

(1) Cf. HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 21, p. 447; SANTI TE SAURO, *op. cit.*, cap. VI, p. 282; LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, cap. VI, p. 380; *Cap. Gen. XXXX* (1637): rerum quibus fratres non sunt usuri in propria specie, dominium ad Ecclesiam Romanam non transfertur. AO, t. VI, p. 205.

(2) Cf. A. CASARUBIOS, *op. cit.*, v. *commutare*, p. 207.

(3) T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XXVI, n. 14; A. CORDUBA, in *Comp. privileg.*, annot, ad v. *commutare*, p. 208; E. RODERICUS, *op. cit.*, t. I, q. 26, art. 4, p. 95.

(4) Cf. A. CASARUBIOS, *op. cit.*, v. *commutare*, p. 207; c. 1, V, 12 in VI, c. 1114.

(5) Cf. *Dialogo de la salute*, p. 127 sq.

(6) *Compendium privilegiorum*, v. *commutare*, p. 207.

(7) *Op. cit.*, VI, n. 21, p. 446 sq.

mutationibus obsistunt, utpote Regulæ puritati et Nicolai III declarationi contraria; attamen saeculo decimo septimo ineunte aliquos expositores capuccinos emperimus, qui rem absolute non improbant (1) et aliquem, qui simpliciter licitam esse declarat (2).

Capitulum vero generale Romae habitum an. 1633 res quae stuarē animo eas vendendi, vel commutandi in alias necessarias interdit, tum quia id est contra Regulam, tum ratione scandali, atque res tantum commutari posse docet, quae ex mendicatione superabundant, dummodo fuerint simpliciter quaestiae, et non ex proposito et fraudulententer (3).

Si autem res postulantur, ut intra Ordinem commutentur, illas possunt Superiores commutare, si ad Sedem Apostolicam pertineant; si vero ad alios, permutatio fieri debet eorum impetrata licentia, quae semper rationabiliter praesumitur, nam ut plurimum res ad usum fratrum benefactores sine restrictione tradunt; immo quaevis licentia videtur non necessaria, ex eo quod in commutationibus intra Ordinem potius quam « rei », fit « usus » commutatio, et pertinet ad Superiores decernere quidquid ad rerum usus dispositionem vel dispensationem spectat.

C) De donatione.

50. — Proprietatis actus est etiam donatio, quae definitur: gratuita ac liberalis rei collatio, qua rei dominium a donante in donatarium transfertur (4). Supponit in donante rerum, quae donantur, dominium et liberam administrationem; unde apparet cur noster Capuccinorum Ordo nihil possit nomine proprio et auctoritate donare.

Modum vero res, quibus Ordo utitur, licite donandi iam supra exposuimus. Requiritur: ut donatio fiat prius obtenta dominorum licentia expressa, tacita, vel probabiliter praesumpta; quo facto, fratres possunt res donare, quia dum haec peragunt

(1) Cf. SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. VI, p. 282; LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, cap. VI, p. 379-38; BARTH. VECCHI, *op. cit.*, disp. IV, dub. XI.

(2) Cf. CYPRIANUS CROUSERS, *op. cit.*, cap. IV, pag. 240.

(3) *Cap. Gen. XXX* (1633), AO, t. VI, p. 151 et 152; *Cap. Gen., XXXI* (1637), AO, t. VI, p. 205; CYRILLUS A BERGOMO, *op. cit.*, p. 92, n. 10, et p. 99, n. 14.

(4) ALBERTUS A BULSANO, *op. cit.*, cap. VI, n. 288, p. 390 sq.

nullum ius exercitant; sed nudam tantum rerum traditionem faciunt (1).

Res vero, quibus Ordo utitur, possunt « intra » vel « extra » Ordinem donari.

1º Donatio rerum extra Ordinem.

Summi Pontifices in declarationibus Regulae concesserunt fratribus generales et permanentes facultates, ut res aliquas ad Sedem Apostolicam pertinentes possent extra Ordinem elargiri. De harum facultatum ambitu, prout hoc saeculo in Ordine nostro circumserbitur, nunc inquirendum est.

Nicolaus III in Decretali *Exit* tribuit fratribus facultatem his verbis expressam: « De vilibus autem mobilibus vel parum valentibus liceat ex praesenti nostra concessione fratribus (pietatis seu devotionis intuitu vel pro alia honesta et rationabili causa) obtenta super hoc prius superiorum suorum licentia iuxta quod inter fratres in generali vel in provincialibus capitulois tam de ipsis rebus vilibus, seu parum valentibus et earum valore, quam praefata licentia, scilicet, a quibus et qualiter sit habenda, exstiterit ordinatum, intra vel extra Ordinem aliis elargiri (2) ».

Iuxta doctrinam ab expositoribus communiter receptam, quinque conditiones servandae hic a Pontifice praefiniuntur, ut elargitiones modo licito fiant:

a) *Ut res donanda sit in usu fratrum et in dominio Sedis Apostolicae* (3).

b) *Ut sit mobilis.*

De rebus immobilibus vi huius concessionis nihil possunt fratres donare sine speciali licentia pontificia (4). Nonnulli expo-

(1) Cf. *Quattuor Magistri, Expositio Regulae*, in *Mon. Ord.*, t. II, f. 23r; HUGO DE DINA, *op. cit.*, in *Mon. Ord.*, t. II, f. 64v; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 26, p. 456 sq.

(2) Cf. c. 3, V, 12 in VI, c. 1118. Concessionem fere in omnibus eandem fecerat iam Innocent. IV in Const. *Ordinem vestrum* (14 nov. 1245); BC, t. VI, p. 23.

(3) Quae emendicantur ut extra Ordinem donentur, sub hac concessione non eadunt, ut merito tradunt B. BRENDULINO, *op. cit.*, cap. VI, f. 139r; ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. VI, p. 306; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 26, p. 457.

(4) Cf. B. BRENDULINO, *op. cit.*, cap. VI, f. 139v; P. MARCHANT, *op. cit.*, cap. VI, p. 376; HIER. A SORBO, *op. cit.*, v. *dare*, p. 274; BARTH. VECCHI, *op. cit.* disp. IV, dub. XVIII.

sitores etiam Capuccini, edocuerunt Syndicium Apostolicum posse si fratribus expediatur, res immobiles elargiri (1); in hoc tamen a veritate deflectunt, oppositamque doctrinam, quae ab aliis doctoribus strenue fuit propugnata (2), capitula generalia nostra quoque docent et tenendam in praxi constituunt (3).

c) *Ut res mobilis sit viliis et parvi valoris.*

Iudicium de parvitate valoris commisit Nicolaus III capitulis generalibus et provincialibus; Leo vero X, qui Nicolai ampliavit concessionem, Ministris Generalibus, Provincialibus, Custodibus, Commissariisque Generalibus, ut idipsum extra capitulum, determinarent, indulxit (4). Pro Religione nostra Capuccinorum nullam in capitulis generalibus normam determinatam pro hac re traditam comperimus, practice tamen haec elargitionum materia ordinatur iuxta sequens principium in Ordine receptum: «in donationibus faciendis standum est Ordinis consuetidini et iudicio Superiorum» (5).

Consuetudo vero in Ordine recepta, ut declarat Sanctes Tesauro (6), erat res minimas, seu parvi valoris, ut fructus horti, munuscula ad devotionem fovendam largiri, et non aliud; neque haec ultro benefactoribus debebant offerri; sed cum ab illis postulabantur, honeste poterant donari (7).

Iudicium de valoris parvitate superioribus committitur. Nomen autem superiorum hic et pro Ordine nostro Capuccinorum, computabantur etiam Guardiani (Superiores locales), qui non tantum ex tacita delegatione in ipso nominationis actu concessa hac gaudebant facultate, sed vi ipsius muneric; nam legislatio Fratrum Capuccinorum, dum Guardianis concedit, ut licentiam ad res parvi valoris donandas dare possint, eis certe committit iudicium efformare de rerum vilitate. Hoc agnatum in capitulis generalibus invenimus, quae poena privationis officii

(1) Cf. HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 26, p. 469; LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, cap. VI, p. 390.

(2) Cfr. SANTI TESAURO: «Ne manco lo può far il Sindico nostro, perchè Nic. III gli dà facoltà solo di commutare, e vendere le cose mobili, et non le immobili. Però si dee ricorrere al Papa, per la licenza». *Op. cit.*, cap. VI, p. 296.

(3) Cf. *Cap. Gen. XXIII* (1618), AO, t. V, p. 304.

(4) Cf. *Compendium privilegiorum*, v. «dare», p. 273.

(5) LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, cap. VI, p. 387.

(6) Cf. *Op. cit.*, cap. VI, p. 295.

(7) Cf. *Cap. Gen. VIII* (1552), AO, t. VI, p. 76.

illos plectunt Guardianos, qui notabiliter largi sint in iudicio de rerum donandaruim vilitate efformando (1).

d) *Ut donatio fiat de licentia Superiorum.*

Iuxta ampliationem Leonis X supra memoratam, nomine Superiorum veniunt Minister Generalis, Provincialis, Custodes, eorumque Commissarii. Dicitur iuxta ampliationem Leonis X, quia Nicolaus III in decretali *Exiit quisnam* licentiam possit tribuere non determinavit, concessit tantum provincialibus capitulis et generalibus, ut illud praefinirent (2). Capitula generalia nostra ab anno 1536 statuunt, ut etiam Guardiani hanc suis subditis possint tribuere licentiam (3). Haec capitularis decisio immutata relinquitur in tota huius primi saeculi legislatione capuccina (4).

Errant ergo nonnulli expositores capuccini, qui, nimis serviliter vestigia Ant. de Corduba insequentes, retinent et applicant Guardianis in Ordine nostro, quae de illis alii expositores non capuccini tradiderunt, nempe, quod licentiam concedunt vel ex tacita delegatione, vel ex consuetudine praescripta (5).

e) *Ut res donanda non sit pecunia.*

Ratio huius exclusionis est, quia pecunia non potest ad primam conditionem reduci; pecuniae usus est tum Ordini, tum

(1) Cf. *Cap. Gen. XXXI* (1637), AO, t. VI, p. 175: « E niun Frate ardisca dare eos'aleuna, o ricevere senza licenza del suo Guardiano o Superiore, al qual vogliamo sia rimesso il giudicare se quello sarà cosa minima ò no...; et il Guardiano ò Superiore che sarà notabilmente largo nel giudicare le cose minime o non farà osservare questo ordine da suoi sudditi, vogliamo che nel segnente Capitolo sia privo di Guardianato ».

(2) Cf. c. 3, V, 12 in VI c. 1118.

(3) *Const. 1536* (n. 87) determinant: « Et perchè niente possediamo in questo mundo, a nesciuno Frate sia lictito dar cosa alehuna a seculari, senza licentia de li loro Guardiani; li quali etiam non possino dispensare loro, nè ad altro dare licentia, se non di cose minime et vile senza la licentia de li loro Vicarii Provinciali ».

(4) Cf. *Const. 1552*, n. 87; *Const. 1575*, p. 68; *Const. 1608*, p. 34. Animadverte quod latina versio harum Constitutionum non semper verum retinet Constitutionum sensum. Cf. *Mon. ad Const.*, p. 304.

(5) ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. VI, p. 357; E. RODERICUS, *op. cit.*, t. III, q. 47, art 4, p. 143. Cordubam sequuntur sunt ex Capuccinis HIERONYMUS DE SORBO, *op. cit.*, v. « dare », p. 274; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 26, p. 459; BARTHOLOMAEUS VECCHI, *op. cit.*, disp. IV, dub. XV.

singulis fratribus prosus interdictus, nec ideo in dominium a Sede Apostolica recipiebatur (1).

Pro rebus sive mobilibus, sive immobilibus donandis, quae sunt ad usum fratrum et in benefactorum dominio specialis eorum, ut supra dictum est, requiritur licentia.

2º Donatio rerum intra Ordinem.

Rigore iuris de veris intra Ordinem donationibus sermo esse non potest; sed, quae ita nuncupantur, sunt usus facti translationes. Re quidem vera, si fratres sibi invicem aliquid donant, res iuridice apud eundem dominum persistit, cum unus transferendi, alter recipiendi proprietatem sint incapaces; si vero donationes inter diversas personas morales exsequuntur, idem obtingit; nam si res, quae donari dicitur, ad Sedem Apostolicam pertinet, deest dominii translatio, si ad alium, vel apud eundem manet, vel ad S. Sedem transfertur; in primo casu deficit donatio, in altero a subiecto fit Ordini extraneo. Improprio tamen modo donationes dicuntur, normisque diriguntur supra recensitis, pro commutationibus rerum, intra Ordinem licite perficiendis. Adest iam generalis Superiorum licentia, ut fratres hoc modo improprio res minimas sibi invicem donent (2).

3º Bulla Clementis VIII Religiosae Congregationes et Ordo Fratrum Min. Capuccinorum.

51. — Labente saeculo decimo sexto, die 19 iunii an. 1594, edidit Clemens VIII bullam *Religiosae Congregationes* in largitionis munerum negotium normis certis salubribusque ordinabat pro regularibus utriusque sexus (3). Huius documenti mentionem supra non fecimus ex industria, eo quod verba aliqua separatis illi destinare sit fere necessarium, huius bullae historico momento considerato.

Bulla *Religiosae Congregationes* apparuit iam variis implicata difficultatibus « adeo ut multis et doctissimis viris negotium fecerit et maxime cum nec ipsa Sanctitas D. N. Papae eam voluerit in aliquo declarare; sed Iuris Communis dispositioni re-

(1) HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.*, v. « dare », p. 274; E. RODERICUS, *op. cit.*, t. II, q. 47, art. 4.

(2) Cf. P. MARCHANT, *op. cit.*, cap. VI, p. 375; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. VI, p. 296-297.

(3) BC, t. VI, p. 318-321.

linquere ». Ita noster Hieronymus a Sorbo, qui, anno bullae publicationi immediate sequenti, illius declarationem scripsit (1).

Constitutio haec Clementina non obtinuit vim universalem, quia eodem anno 1594, Religionum Hispaniae supplicatione interposita, eius exsecutio in hac natione suspendebatur (2); alibi vero non fuit usu recepta a Superioribus Regularibus et ecclesiasticis Praelatis, etiam in supremis dignitatibus constitutis, non solum per decennium, sed spatio fere viginti annorum. Ita plures illius temporis doctores (3).

His praemissis, auctores, qui initio saeculi XVII de bullista disseruerunt, ad hanc devenerant conclusionem: « Bulla Clementis VIII de munerum largitione in unaquaque Religione obligat, vel non, prout moribus utentium acceptata, vel non acceptata fuit » (4).

Fratrum Capuccinorum Religio Constitutionem Clementinam acceptavit, ut satis innuunt verba Hieronymi a Sorbo in *Compendio privilegiorum*: « Nunc tamen observanda est, et bene attendenda dispositio S. D. N. Clementis, quae nunc sequitur » (5), et indubio modo evincitur ex quodam manuscripto Archivii generalis Ordinis, in quo ipse auctor, tunc temporis Vicarius Generalis (1596-1599), praefinit modum ab Ordine nostro observandum pro huius bullae adimpletione perfecta. Vicarius Generalis Constitutionis Clementinae declarationem fecit plurium fratrum rogatu permotus, ut bulla absque confusione et perturbatione in toto Ordine impleretur (6).

(1) Cf. *Compendium privilegiorum*, v. « dare », p. 279. Idipsum testatur Ludovicus Parisiensis, qui Romae degebat tempore publicationis bullae. Cf. *Exposition littérale*, cap. VI, p. 392.

(2) Cf. T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. 19, n. 92; HIERONYMUS LLAMAS, *Summa sive instructio confessoriorum*, pars III, cap. VI, apud BARTHOL. VECCHI, *op. cit.*, disp. IV, dub. XXV.

(3) Cf. A. DIANA, *Resolutions morales*, pars. I, tract. VI, De Paupertate Religiosa, resol. 1; BARTH. VECCHI, *op. cit.*, disp. IV, dub. XXV.

(4) Cf. BARTH. VECCHI, *op. cit.*, et loc. cit.

(5) *Op. cit.*, v. « dare », p. 274.

(6) « Havendo N. Sro. Papa Clemente 8 con santissimo zelo fatta e pubblicata quella Constituzione nella quale proibisce a Religiosi il dare, donare... è parso a me f. Girolamo del Sorbo Generale per soddisfare all'instantie fattemi da frati nostri e per non mancare del debito mio di dichiarare o prescrivere un modo e forma che si ha da tenere communemente per tutta la nostra Congregatione circa l'osservanza di tal Bulla acciò che non nasca disordine e confusione ». Cf. *Formula pro Consultore*, p. 150-155, cod. Arch. generalis O. F. M. Cap., Romae.

Praecipua huius declarationis capita ad sequentia reducuntur:

a) Certo modo determinantur qualia sint esculenta et poculenta et munuscula ad religionem, sive devotionem pertinentia, quae Capuccini elargiri possunt iuxta bullae concessionem (1).

b) Cum elargitiones fieri debuissent iuxta bullam, nomine communitatatis, cum approbatione Superioris et de consensu conventus, praecipit Vicarius Generalis « ut iste consensus immediate post capitulum, familia conventuali constituta, petatur, et ad abusus Superiorum praecavendos, ut sexto quoque mense renovetur (2) ».

c) Constitutio pontificia iniungit, ut fratres nec res minimas invicem sibi donent sine expressa et in scriptis Superioris impetrata licentia. Vicarius Generalis vult, ut sua declaratio vim habeat talis licentiae expressae et scriptae ad res minimas elargiendas; ad alias autem donationes perficiendas obtineatur licentia expressa et in scriptis Guardiani, vel Vicarii Provincialis (3).

Haec Vicarii Generalis declaratio ab initio in Ordine Capucinorum Constitutionem Clementinam receptam esse indubie demonstrat; tamen nec Constitutio pontificia, nec declaratio Vicarii Generalis per longum tempus fuerunt observatae. Capuccini expositores Regulæ, qui ab anno 1596 ad 1638 scripserunt, de hac Hieronymi a Sorbo declaratione silent omnino, et bullam Clementinam, de largitionibus disputantes, vel non me-

(1) « Si ordina, che solo possono dare frutta et herbe che nascono nelli horti nostri, nome di Giesù che si stampano da frati nostri, qualche Ave Maria benedetta, medaglie, qualche corona, ma di vischio o lacrime che nascono nelli nostri horti e luoghi e si fanno da frati nostri o altra coronetta piccola con l'indulgenza, hostie, particole, qualche corporale e purificatore o qualche povero Agnus Dei ma in cera ignudi o coperti di poco momento, e queste cose non si diano se non servatta la forma in essa Constitutione contenuta ». (*Ms. cit.*, p. 151-152).

Etsi sub rebus supra recensisitis non contineantur, tanquam munuscula consideranda erant ea omnia, quorum valor tres julios non excedebant. (Cf. *Ms. cit.*, p. 152) quam doctrinam tradiderat in Compendio Privileg., v. « dare », p. 284. Julius aequabat valorem 0,56 libellae. Cf. N. ZINGARELLI, *Vocabolario della lingua italiana*, Milano, 1933.

(2) *Cod. cit.*, p. 152.

(3) « Diciamo che i frati si possono dare ordinariamente l'un l'altro per carità un poco di carta, di mocolo o candella, inchiostro, qualche penna, filo, ago, qualche frutto, figurette, medaglie, crocette, Agnus Dei, e per le sopradette cose, basti questa per licenza expressa et in scriptis ». *Cod. cit.*, p. 154.

morant (1) vel si memorant, eius observantiam non urgent. Attamen silentium et indifferentia circa praedicta documenta bene explicantur.

Nounnulli doctores, ut supra innuebatur, bullam omni vigore per non usum esse destitutam dicebant; non pauci, bullae vim agnoscentes, propugnabant eam non extendi ad Religiones incapaces possidendi in communi (2), ita, ut in Curia Romana et a pluribus Cardinalibus pro indubitata re haberetur Capuccinos non comprehendi sub praescriptis bullae *Religiosae Congregationes* (3); primo quia nihil possident in communi, et secundo, quia adimplentes ea omnia, quae in Regula et pontificiis Regulae declarationibus sunt pro illis decreta in elargitionum materia, novae bullae praeceptiones satis implent (4).

Post Constitutionem Urbani VIII *Nuper a Congregatione* (16 oct. 1640) (5), qua Clementina Constitutio confirmata est, et additis declarationibus ad moderamen deducta, dubium omne circa eius obligationem e medio aufertur. Ambae Constitutiones in Ordine nostro certe recipiuntur, ut ex nostrarum Constitutionum textu manifeste appareat (6).

D) *De mutuo.*

52. — In mutuo dando vel recipiendo intervenit etiam contractus proprietatis, cum mutuo dare sit de meo tuum facere, et mutuo accipere de tuo meum facere. Ille qui sensu proprio

(1) Cf. HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI. n. 26, p. 456 sq.; CYPRIANUS CROUSERS, *op. cit.*, cap. VI, p. 377-381.

(2) Cf. LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, cap. VI, p. 393.

(3) «On doit bien considerer les paroles de la dite Bulle, par lesquelles on cognoist, ce me semble, que le Pape n'a jamais eu intention d'y comprendre les Freres Mineurs Capucins, mais seulement les riches Abbayes, et tous Religieux possedans du bien en commun: ce qui a esté dit plusieurs fois, par plusieurs Cardinaux à plusieurs de nos Peres et Freres, qui quasi seuls les alloient importuner». LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, cap. VI, p. 393.

(4) Capitula Generalia, quae hoc tempore contra excessus in rebus donandis procedunt, modum in donando servandum statuant, qui facile componitur cum Decretali *Exitit*, non autem cum Constitutione Clementis VIII; statuant enim ad res minimas donandas obtinendam esse licentiam Superioris, nihil vero dicunt de consensu totius conventus a Clemente VIII requisito. Cf. *Cap. Gen. XXX* (1633), AO, t. VI, p. 144; *Cap. Gen. XXXI* (1637), AO, *ibid.*, p. 176.

(5) Cf. BC, t. VI, p. 404.

(6) Cf. *Mon. ad. Const.*, p. 304.

mutuo dat rem alteri, appropiat et acquirit ius aequivalens rem mutuatam exigendi; qui vero sensu proprio mutuo accipit rem sibi appropiat, sed civiliter ad aequivalens restituendum adstringitur.

Capuccinorum Ordo nullius rei temporalis potest dominium vel transferre, vel recipere proprio nomine et auctoritate, neque ius exigendi aliquid, vel civilem restituendi obligationem in se suscipere; hinc est, quod mutuum in vera mutui figura iuridica nec dare potest, nec recipere (1).

Theologi tamen et expositores aliud mutuum inducunt improprie dictum, quod noster quoque Ordo perficere potest.

In hoc mutuo res (non autem pecunia) ad usum facti absque ulla proprietate accipiuntur a fratribus, qui, omni obligatione politica exclusa, aequivalentem rem restituendi, dicere sic mutuantibus possunt, ait Nicolaus III, « quod per eleemosynas et alios amicos fratres ad solutionem intendunt fideliter laborare »; solutionem fratres tenentur procurare tantum ex naturali fidelitatis obligatione (2). Res vero quae illi ita accipiunt in dominio ipsius mutuantis remanerent, vel secus ad Sedem Apostolicam transirent.

Art. 2. — DE ALIIS CONTRACTIBUS

53. — De principalioribus contractibus hucusque singillatim pertractavimus, quia eorum iuridica ordinatio aliquid Ordinis nostri proprium secum ferebat; de ceteris autem, ne saepe eadem repeatantur, agemus per modum unius, communem doctrinam proponendo contractibus *pignori, deposito, commodato, locationi, sponsioni* et aliis applicandam.

Secundum doctrinam omnium Regulae expositorum, supradicti contractus dupliciter sumi vel fieri possunt.

1º *Sensu proprio seu rigoroso*, ita ut ius et obligationem civilem respective inducant in contrahentes;

(1) Doctrina communiter recepta. Cf. QUATTUOR MAGISTRI, *op. cit.*, in *Mon. Ord.*, t. II, f. 23r; HUGO DE DINA, *op. cit.*, in *Mon. Ord.*, t. II, f. 63v; GIOVANNI DA FANO, *Discorso circa la povertà*, AO, t. XXVII, p. 234; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. VI, p. 288.

(2) Cfr. c. 3, V, 15 in VI, c. 1115; HIERONYMUS A POLITIO *op. cit.*, cap. VI, n. 23, p. 450.

2º Sensu proprio seu lato, quatenus obligationem naturalem tantum secum ferunt.

Hic animadvertisendum est ad quaestionis intelligentiam duplicem oriri posse obligationem ex contractu: primam civilem, eam nempe ad quam implendam datur actio in foro externo; alteram naturalem seu ad quam implendam non datur actio in foro externo, quae tamen obligat in conscientiae foro.

Ex contractu sensu « proprio seu rigoroso » accepto oritur obligatio civilis, activa (ius) vel passiva, et quidem iuncta cum obligatione naturali.

Ex contractu sensu « lato seu proprio » oritur tantum obligatio naturalis, quae ex lege naturali tota promanat, et conscientiam devincit, licet non habeat actionem in foro fori. Cum lex humana contractui ipsum reprobans irritansque, minime resistit, sed nec assistit ei, actionem in foro externo concedens, obligatio oritur naturalis absque civili.

Fratres Capuccini sua paupertatis professione iuri naturali minime abrenuntiant, nec possunt renuntiare; neque obligatio (naturalis), activa vel passiva, quae ex hoc iure oritur, minoritiae paupertati repugnat.

Inde consequitur Capuccinorum Ordinem contractus sensu proprio perficiendi esse penitus incapacem, sensu proprio tamen contrahere posse (1).

(1) Cf. ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. V, p. 303-307; P. MARCHANT, *op. cit.*, cap. VI, p. 372-373; L. LESSIUS, *op. cit.*, cap. XIX, dub. 3, n. 12-13; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 25, p. 454 sq.; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. VI, p. 285, praesertim vero CYRILLUS A BERGOMO, *op. cit.*, p. 54-57 et 352-356.

CAPUT III

DE INCAPACITATE ACQUIRENDI BONA TEMPORALIA PER TESTAMENTA ET LEGATA

54. — Veluti complementum eorum, quae de extensione seraphicae paupertatis dicta sunt, operaे pretium est separatim pertractare de iuridica Ordinis incapacitate acquirendi bona temporalia testamentis et legatis, quod duobus articulis faciemus; in primo quidem tractando de incapacitate successionis hereditariae, in altero autem de incapacitate successionis legatariae.

Art. 1. — DE INCAPACITATE SUCCESSIONIS HEREDITARIAE

55. — Capacitas testamentaria duplex distinguitur, activa et passiva, prout agitur de capacitate ad condendum testamentum, vel ad res testamento relictas titulo hereditatis recipiendas. Hic quaestio unice vertitur de Ordinis nostri capacitate passiva, quae hereditaria successio quoque dicitur, et clarioribus terminis sic exprimi potest: Fratres Minores Capuccini possuntne heredes institui? Agemus in paragraphe prima de incapacitate Ordinis et aliarum personarum tum moralium tum physicarum, in secundo de incapacitate ecclesiarum et capellarum nostrarum.

A) *Incapacitas Ordinis et aliarum personarum moralium.*

56. — Considerata voti seraphicae paupertatis puritate, omnes doctores unanimiter profitentur Ordinem Capuccinorum et ceteras personas morales intra Ordinem esse prorsus incapaces successionis hereditariae sive ab intestato sive ex testamento. Haec autem incapacitas non tantum locum habet in immedias heredis institutionibus seu, ut dicitur, quae fiunt iure directo; sed protenditur quoque ad institutiones mediatas, uti ac-

cidit cum testator disponit ut, herede suo decedente, hereditas ad Ordinem deveniat, vel in illis, quae fiunt iure fidei commissi universalis, quo, scilicet, aliquis institueretur quidem heres, sed fide data, quod Ordini sit ipsam hereditatem translaturus (1).

Huius omnimodae incapacitatis ratio optime a Clemente V in Decretali *Exivi* profertur: « Quia igitur in successionibus transit non solum usus rei, sed et dominium suo tempore in heredes, Fratres autem praefati (Franciscani) nihil sibi in speciali acquirere, vel eorum ordini possunt etiam in communi, declarando dicimus, quod successionum huiusmodi, quae etiam ex sui natura indifferenter ad pecuniam, et etiam ad alia mobilia et immobilia se extendunt, considerata sui puritate voti nullatenus sunt capaces » (2).

Allatae hic a Pontifice rationes inserviunt quoque pro successionibus mediatis, seu hereditatibus iure fideicommissi relicta, nam ex se ad omnia mobilia et immobilia bona extenduntur (3).

Si autem contingat, quod Ordo noster, incapacitate non obstante, heres instituatur, testamentum, tamquam personae incapaci factum, irritum doctores declarabant, dummodo nullus substitutus, aut coheres in testamento designaretur. Hereditas in hoc casu, aiunt illi, cedit ab intestato venientibus. Si vero substitutus est vel coheres in testamento designatus, testamentum valet, substituto adeunte hereditate, ad quem primo pertinet, vel adeunte coherede, cui augescit portio fratribus reticta (4).

Nec paucae nec leves hic agitantur quaestiones inter theologos, canonistas et Regulae exposidores, quarum duas, ut principiiores, placet hic leviter attingere, saltem ut pars ostenda-

(1) Cf. HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.*, v. *hereditas*, p. 388-389; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 48, p. 486; ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. X, p. 325; SERENA *Conscientia*, q. XVII, apud *Mon. Ord.*, t. II, f. 123; E. RODERICUS, *op. cit.*, t. II, q. 78, art. I; T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XXV, n. 4-5; J. CASTROPALAO, *Summa Moralis*, pars. III, disp. III, p. 286.

(2) C. 1, V, 11 in Clem. c. 1197; Conc. Trident., sess. XXV, *de reformatione eccl. 3*; B C, t. VII, p. 395.

(3) Cf. Auctores supra allati et CYPRIANUS CROUSERS, *op. cit.*, cap. VI, p. 399.

(4) Cf. T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XXV, n. 6; J. DE LUGO, *op. cit.*, disp. III, sect. V, n. 98; HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.*, v. « *hereditas* ». p. 388.

tur, quam huius primi saeculi cursu Ordo Capuccinorum sequitur in quaestionibus disputatis (1).

a) Si quis Fratres Capuccinos heredes instituat, nulla, ut modo dicebamus, est talis institutio, et hereditas cedit substituto, coheredi vel venientibus ab intestato; dubitatur tamen utrum hi possint in conscientiae foro hereditatem retinere, an teneantur fratribus solvere hereditatis aestimationem.

Quaestio haec speculative magnopere inter doctores contendebat (2). Negativa tamen sententia, ut palam est, tutior erat neconon Regulae seraphicae paupertatique conformior, simulque auctoritate Clementis V roborabatur dicentis: «Fratres Minores universalium successionum nullatenus sunt capaces». Iuxta haec verba nequeunt Fratres Minores aestimationem hereditatum recipere, quia modus unus percipiendi hereditatem est absque dubio eius aestimationem recipere (3).

Expositores capuccini, nemine refragante, ad hanc sententiam negativam configiunt, quia, «tutior est et statu nostro magis conformis». Haec expositorum unanimitas Ordinis nostri praxim et ideologiam toto hoc primo saeculo indubie nobis patefacit (4).

b) Altera quaestio non minus controversa versatur circa valorem testamenti, quo Fratres Capuccini heredes instituuntur cum apposita clausula «quod hereditas vendatur et eius pretium in fratrum necessitatem convertatur». Sententia huiusmodi testamenti valorem propugnans vera gaudebat intrinseca et extrinseca probabilitate, ut agnoscent oppositae doctrinae assertores.

Potissimum huius sententiae affirmativae fulcimen ex iuris

(1) Cf. A. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. XI; J. CASTROPALAO, *op. cit.*, pars. III, disp. III, p. 286-287; CYRILLUS A BERGOMO, *op. cit.*, p. 191-206.

(2) Pro affirmativa sententia inter alios memorantur a TH. SANCHEZ (*op. cit.*, lib. VII, cap. XXV, n. 7), Bartolus, Rosella, Silvester et alii, hanc pro heredum obligatione rationem adducentes; quando quis est incapax capienda rei sibi relictæ absque proprio delicto, sed ob personæ conditionem, tenetur heres ad aestimationem; praesumitur semper testatorem voluisse suum testamentum valere omni modo, quo potuit. Cf. CYRILLUS A BERGOMO, p. 192, n. 2.

(3) Cf. c. 1, V, 11 in Clem. c. 1197; E. RODERICUS, *op. cit.*, t. II, q. 78, art. 2; J. CASTROPALAO, *op. cit.*, pars. III, disp. III, p. 286.

(4) Cf. SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. VI, p. 303, ubi de negativa sententia ait: «è più sicura, e più conforme allo stato nostro»; BARTH. VECCHI, *op. cit.*, disp. VI, dub. I; LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, cap. VI, p. 371.

communis paeceptis erat deductum. Testatoris dispositio, dicebant, nulla quidem est quatenus Fratres Capuccinos, incapaces cum sint, heredes instituit; sed in eodem testamento « causa pia » apposita invenitur, nempe: « quod hereditas vendatur et pretium in fratrum necessitates sublevandas convertatur: ex hac secunda parte testamentum existimabatur validum, quia in piis causis sufficit, quod hereditas ad piam causam relinquatur, neque necessaria est persona, in quam nomeu heredis cadat; prima ergo testatoris dispositio, qua Capuccinos heredes instituit, corruit, et pro non scripta habetur, secunda vero sustinetur⁽¹⁾. Nihilominus negativa conclusio erat probabilior⁽²⁾, sed praecipue tutior et puritati minoritiae paupertatis conformior, quare absque dubio potius propter secundam rationem in Ordine Capuccinorum accipitur et unanimi ferme consensu ab expositoribus traditur⁽³⁾; duo tantum unanimitatem impediunt scil. Bartholomaeus Vecchi, et Cyprianus Crouzers⁽⁴⁾. Tamen haec opinio Cypriani Crouzers improbata fuit, correcta et in contrariam mutata in illa sui operis castigatione, quam tum Patres nostrae Reformationis, tum Sacra Congregatio perfecerunt⁽⁵⁾.

Ordo Fratrum Capuccinorum praxi toto hoc saeculo fidelissime mandat principium illud, quod in expositione Hieronymi a Politio enuntiatum reperitur: « In his enim, quae Regulae puram observantiam respiciunt, tutior semper eligenda est pars »⁽⁶⁾.

(1) Cf. E. RODERICUS, *op. cit.*, t. II, q. 78, art. 4, p. 241, et alii apud CYRILLUM A BERGOMO, p. 193, n. 5.

(2) Hanc sententiam propugnaverant inter alios Auctor libri *Serena Conscientia*, q. XVII, apud *Mon. Ord.*, t. II, f. 123; ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. XI, p. 325; T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XXV, n. 11; J. CASTROPALAO, *op. cit.*, pars. III, disp. III, p. 287; et communiter doctores, eam inter Fratres Minores et alios Mendicantes differentiam agnoscentes, ut hi essent capaces succedendi in bona immobilia, non ut ea retineant, sed ut vendant, et pretium in proprias necessitates expendant, illi vero essent utriusque negotii incapaces.

(3) Cf. SILVESTRO D'ASSISI, *op. cit.*, f. 184-186; HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.*, v. « hereditas », p. 390-391; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 52, SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. VI, p. 303; LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, cap. VI, p. 371.

(4) BARTH. VECCHI, *op. cit.*, disp. VI, dub. II; CYPRIANUS CROUSERS, *op. cit.*, cap. VI, p. 400-402.

(5) Cf. CLAUDIO BITURICENSES, *Breviarium chronologicum*, p. 219; CYRILLUS A BERGOMO, *op. cit.*, p. 194, n. 5.

(6) *Op. cit.*, cap. VI, n. 55, p. 498.

In re autem testamentaria quaenam sit tutior positio, ipsae Constitutiones declarant: «Et in tutto si guardino (i frati) che visitando alchuno infermo, ne directe, ne indirecte, non li induchino a lassarci cosa alcuna temporale; imo volendo farlo non consentino, ma repugnino, quanto iustamente possano, pensando che non si po insieme possedere richeze et poverta» (1).

Scimus denique ex chronographorum testimonio, quam fideliter vitae praxis legibus conformaretur (2).

B) *Incapacitas ecclesiarum.*

57. — Circa nostrarum ecclesiarum capacitatem successionis hereditariae, certis de causis dubitabatur, nec minus acriter discussiebatur inter doctores franciscanos.

Si enim attente perpendatur quod Capuccinorum ecclesiae non sunt proprietas eorum, sed Sedis Apostolicae (3), sequitur quod remanent sic sub dispositione iuris communis, iuxta quod ecclesiae bene possunt heredes institui. Hac ratione non sernenda fulciebantur capacitatibus ecclesiarum assertores (4). Communior tamen sententia capacitatem successionis hereditariae ecclesiis nostris denegabat, quoniam ex Decretali *Exiri* inferebatur eiusdem conditionis esse Fratrum Minorum ecclesias, ac sunt ipsi Fratres (5). Clemens V fratribus, quo minus pecunias in ecclesiis oblatas reciperent absolute prohibuerat, sine distinctione utrum essent pro ecclesiae fabrica destinatae, an pro alio beneficio, vel pro fratrum necessitatibus sublevandis. Inde arguebant doctores, sicut in ecclesia pecuniam offerens nullum ius, aut dominium in ecclesiam transfert, sic nec per heredis institutionem ius aliquod poterit in ecclesias transferri, cum nulla videatur differentiae ratio inter id quod in testamento heredis institutione relinquatur atque illud quod liberaliter oblatum est (6).

(1) *Const. 1536*, n. 59; idem invenies in Constitutionibus posterioribus.

(2) Cf. GIOVANNI DA FANO, *Dialogo de la salute*, p. 134; RUFINO DA SIENA, in *L'Ital. Franc.*, t. III, p. 302.

(3) C. 3, V, 12 in VI^o. c. 1113; c. 3, 14 in *Extravag. Joann.* XXII.

(4) Cf. E. RODERICUS, *op. cit.*, t. II, q. 78, art. 5, p. 242, prius autem Marcus Antonius Cneohus et alii, quos Th. Sanchez affert, *op. cit.*, lib. VII, cap. XXV, n. 13, hanc sententiam propugnaverant.

(5) C. 1, V, 11 in *Clem.* c. 1197.

(6) Cf. HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 55, p. 497 sq. Hanc inter-

Reformatio Fratrum Capuccinorum fide inconcussa etiam in hac quaestione practice tutiorem amplectitur sententiam. Omnes fere capuccini expositores cum ad hanc discussionem perveniunt, eadem verba repetunt: « Licet affirmativa opinio satis probabilis videatur, tutior tamen est pro puriori Regulae observantia negativam partem tenere, et ita semper observavit nostra fratrum Capuccinorum Religio » (1).

Quod de ecclesiis dicitur idem pari ratione oratoriis seu capellis et altaribus convenit; itaque nec Ordo noster, nec aliae personae morales, nec ecclesiae, oratoria, vel altaria ecclesiarum nostrarum successionis hereditariae sunt capaces.

Art. 2. — CAPACITAS ET INCAPACITAS SUCCESSIONIS LEGATARIAE

58. — Non immerito Sanctes Tesauro legatorum quaestionem vere difficillimam vocat et diffusam valde (2). Nos tamen eam aliquatenus circumscribimus, quia hunc articulum scripsimus ea tantum ratione ducti, nempe proponendi praecipua capita circa Ordinis Capuccinorum theoreticam capacitatem vel incapacitatem successionis legatariae, simulque Ordinis proxim primo saeculo in receptione legatorum significandi.

A) *Doctrina et Ordinis praxis ab an. 1528 usque ad an. 1575.*

59. — Temporis spatio, quod ab anno 1528 ad an. 1536 decurrit, Fr. Capuccinorum Reformatio cuiuslibet rei receptioni titulo legati resistit. Verum quidem est, quod nihil de hac materia praeci- piunt, vel prohibent Albacinenses Constitutiones; sed Constitu- tiones anni 1536 quamlibet legatorum receptionem absolute ve- tant (3), ex quo absque dubitatione deducitur hanc fuisse Ordinis

alios sententiam docuerant *Serena Conscient.* q. 17, in *Mon. Ord.*, t. II, f. 123; ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. XI, p. 325; J. LUGO, *op. cit.*, disp. III, sect. III, n. 98; J. AZORIUS, *op. cit.*, lib. XII, cap., XXIII, c. 1584; J. CASTROPALAO, *op. cit.*, pars. III, disp. III, p. 287; T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XXV, n. 14, ubi alias doctores et argumenta reperies.

(1) HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.*, v. « hereditas », p. 391; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 55, p. 498; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. VI, p. 304; BARTH. VECCHI, *op. cit.*, disp. VI, dub. III. Adhuc eadem verba repetit (1680) CY- RILLUS A BERGOMO, *op. cit.*, p. 196, n. 13.

(2) *Op. cit.*, cap. VI, p. 306.

(3) *Const. 1536*, n. 59.

praxim etiam prioribus annis, quia si periodus prima a secunda in aliquo discrepat, id certe consistit in maiori rigore, quo obser-vatur altissima paupertas.

Haec veritas, etsi explicita deficiant argumenta, satis appa-ret, si consideretur Ordinem nostrum hac prima periodo ponti-ficias daclaraciones recusasse, in quibus, ut in decretali *Exit*, Ordinis Fratrum Minorum capacitas et incapacitas successionis legatariae iuridice et fundamentaliter ordinabatur; immo no-stri chronographi inter causas separationis priscorum Fratrum Capuccinorum ab Observantia recensent exsistentes abusus in re-ceptione legatorum (1). Itaque Reformatio nostra initium actionis signat adversus legatorum receptionem, quae actio sustinetur usque ad annum 1575 modo in ipsis Constitutionibus nostris descripto: *Ne si acceptino legati* (n. 59) simpliciter, et absolute praecipiunt Constitutiones 1536. *Et non si accettino legati* pari modo adhuc repetunt Constitutiones anni 1552 (n. 59).

Haec Constitutionum praescriptio terminis ita absolutis ex-pressa, quaeque per quinquaginta fere annos immutata in textu retinetur, impellunt nos ad asserendum Ordinem Fr. Capucci-norum, adhuc post receptionem papalium declarationum Regu-lae (1536), omni receptioni legatorum restitisse, illi quoque, quae a Nicolao III in decretali *Exit* fuerat licita declarata (2).

Exinde autem minime infertur Ordinem non posse recipere per modum simplicis elemosynae res ipsi in testamento lega-tas, dummodo vere fuerint necessariae, hoc autem nullo pro-hibetur iure. Attamen inter istam receptionem rei legatae per modum simplicis elemosynae et receptionem a Nicolao III lici-tam declaratam aliqua intercedit iuridica differentia, etsi et haec non sit praecise ex parte fratrum, ut infra occurret illam indi-candi occasio (3).

(1) Cf. RUFINO DA SIENA, *op. cit.*, in *L'Italia Frano.*, 1928, t. III, p. 302; Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, an. 1532, n. XXV, p. 161; IOANNES DE TERRANOVA, *De origine Ord. Fr. Min. Capuccinorum*, in AO, 1907, t. XXIII, p. 151.

(2) Cf. c. 3, V, 12 in VI^o. c. 1117.

(3) Differentia in eo praesertim est quod in legatis modo licto Fratribus Minoribus factis heredes, vel executores negligentes ad solvendum compelli possunt. CYRILLUS a Bergamo, *op. cit.*, p. 125, conatur probare Capuccinos ab initio le-gata iuxta Decretalem Nicolai III recepisse; tota tamen eius argumentatio ruit, quia innititur praesertim in verbis Constitutionum anni 1575 et non advertit pe-ractam in textu legali mutationem.

B) *Doctrina et praxis ab anno 1575 ad an. 1638 circa Ordinis capacitatem.*

60. — Constitutiones Ordinis anno 1575 recognitae in textu legali perhibent mutationem non levis momenti tum sub aspetto pratico, cum sub aspectu iuridico. Amplius non prohibent simpliciter et absolute legata recipere, sicut priores, sed statuunt, quod fratres « legata ne recipient contra Regulae declarationem a Nicolao III et Clemente V editam »(1).

Igitur traditam a Nicolao III et Clemente V doctrinam circa Ordinis Minorum capacitatem, vel incapacitatem successionis legatariae nostra Reformatio amplectitur inde ab anno 1575. Qualis sit haec doctrina in hac paragrapho videbimus; primum de capacitate Ordinis sermo fit; postea de capacitate ecclesiarum disseritur.

61. — Quid autem fleri deberet de his, quae interdum in ultimis voluntatibus Fratribus Minoribus sub diversis modis legabantur, nec Regula nec declarationes pontificiae, ante decretalem *Exitit* determinaverant; hac ratione motus Nicolaus III « ad praecavendum fratrum conscientiis et simul ipsis legantibus providendum » in sua decretali *Exitit* doctrinam in hac re fundamentalem constituit(2).

Triplici modo potest aliquid fratribus legari, iuxta decretalem *Exitit*:

1º Modo licito, si testator in legando modum fratribus licitum expresserit. Modus autem licitus in sequentibus praesertim conditionibus est reponendus:

a) ut legatum fiat per modum eleemosynae, seu quod fratres nullum ius in legatum acquirant;

b) ut legata res in se usibus fratrum cedere possit, vel ex commissione testatoris possit in rem fratribus necessariam converti;

c) ut per rei legatae receptionem noster mendicitatis seu

(1) « Nè accettino legati contra la dichiarazione della regola di Nicolao terzo et Clemente quinto ». *Le prime Costituzioni*, p. 59.

(2) Cf. c. 3, V, 12 in VI^o, c. 1117.

paupertatis status, nec tollatur, nec gravem patiatur iacturam (1).

2º Modo illico, nempe si testator modum in legando expresserit recensitis ad liceitatem conditionibus oppositum, ut si fratribus vineam, vel agrum ad excolendum, domum ad locandum legaret (2).

3º Modo indeterminato, seu sine modo. Si enim aliquis rem fratribus generaliter absque modi expressione legat, statuit Pontifex, ut intelligatur, iuris dispositione, sub modo licito reicta, ut «nec legans merito, nec fratres ipsi effectu relictæ rei fraudentur» (3).

Fratres legata modo licito et indeterminato reicta possunt recipere; sed omnimode abstinere debent ab illis incongruo, seu illico modo factis (4). Res ista magis dilucide apparebit, si singulas legatorum species separatim contemplemur.

1º LEGATA BONORUM IMMOBILIUM ET ANNUORUM REDITUUM

62. — a) Si immobilia bona Fratribus Capuccinis legantur sub expresso modo, ut pro domo, ecclesia vel horto ipsis inserviant, sunt modo licito legata; quapropter dummodo fratribus haec immobilia vere necessaria sint, hi possunt ea ad usum recipere. Aliorum immobilium etiam usus facti est ipsis prorsus vetitus.

Sub modo etiam licito immobilia bona Fr. Capuccinis legata intelliguntur, si testator ea relinquat ad hoc, ut per idoneas personas distrahantur, et accepta ex ipsis pecunia in res alias fratribus necessarias convertatur; nam tale rei immobilis legatum ex modo a testatore adiecto fit legatum rei mobilis, i. e. pecuniae, atque ex hoc decernit merito Nicolaus III fratres minime posse huiusmodi recipere legata, nisi strictissimas obseruent normas ab ipso pro licita receptione legati pecuniarii constitutas.

b) Si vero immobilia aliqua sine modi expressione (modo indeterminato) Fr. Capuccinis relinquuntur, iuris dispositione, tanquam modo licito reicta, sunt consideranda (5). Rerum im-

(1) Cf. inter alios expositores Regulae, P. MARCHANT, *op. cit.*, cap. VI, p. 383; BARTH. VECCHI, *op. cit.*, disp. VI, dub. XIV.

(2) Cf. c. 3, V, 12 in VI^o, c. 1117.

(3) Cf. *Ibid.*

(4) Cf. *Ibid.*

(5) Cf. c. 3, V, 12 in VI^o, c. 1117; c. 1, V, 11 in Clem., c. 1198; E. RODERI-

mobilium sic relictarum venditio sine solemnitatibus iure petitis ad rerum ecclesiasticarum alienationem fieri, iuxta doctores, poterat; nam, dum immobiles res persistunt, remanent in dominio heredum. Fratres tamen minime possunt in venditione harum rerum quovis modo intervenire (1).

c) Denique si modus illicitus in legando res immobiles exprimatur, ut esset vineam vel campum relinquere, ut exculantur vel domum ad locandum, fratres a talium legatorum receptione « per omnem modum abstineant » (2). His verbis Nicolai III innixi nonnulli doctores docuerant non posse fratres aestimationem horum legatorum recipere (3); alii vero quaestionem hac distinctione enodabant: Legati incongruitas seu illiceitas « ex modo » duplex potest distingui:

a) Illiceitas proveniens ex modo apposito Regulae vel statui et conditioni fratrum repugnante;

b) Illiceitas proveniens ex modo apposito repugnante conditioni fratribus particularis, aut ex ratione alia, v. gr quia fratres rebus legatis non indigent, non tamen Regulae, aut statui contrario. Legatum, in quo campus nobis ad illum excolendum relinquitur, illicitum est ex modo apposito Regulae et statui nostrae mendicationis repugnante; illud vero, in quo v. gr. libri fratribus laicis legantur, vel quaedam pecuniae summa pro induendis fratribus, cum nec praesens nec imminens sit necessitas, legatum est incongruo modo factum, non tamen statui nostro et conditioni repugnat, cum et libros habere et pecuniam pro fratribus induendis Capuccini accipere possint, dummodo vera, praesens, vel imminens exsistat necessitas.

Secundum praedictam distinctionem, legatorum quae modo

CUS, *op. cit.*, t. II, q. 126, art. 1; ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. XI, p. 328; DE LUGO, *op. cit.*, disp. III, sect. V, n. 101; T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XXVI, n. 15-32; HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.*, v. « legata », p. 192; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 62, p. 503 sq.

(1) Cf. DE LUCA, *Theatrum veritatis et iustitiae*, lib. VII, v. alienatio, disc. 9, n. 5, Venetiis, 1706; SANTI, *op. cit.*, cap. VI, p. 312. Neque opus est, ut res immobilis fratribus relicta, modo licito, vel indeterminato, statim alienetur, sed potest temporis opportunitas exspectari, ne vili pretio fiat venditio. Cfr. I. CASTROPALAO, *op. cit.*, pars. III, disp. III, p. 288; T. SANCHEZ, *op. cit.*, et loc. cit., n. 30; J. AZORIUS, *op. cit.*, lib. XII, cap. XXIII, c. 1583.

(2) Cf. c. 3, V, 12 in VI, c. 1117.

(3) Cf. T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XXVI, n. 18; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. VI, pp. 312-313.

Regulae et statui fratrum repugnante fiunt, neque aestimatio excipi potest (1); illorum autem, quae ex alia causa illicita sunt, potest excipi aestimatio, vel ipsum quoque legatum, si ad aliam fratrum necessitatem iure commutetur, et tollatur sic legati incongruitas (2). Hanc sententiam medium plures amplectuntur expositores capuccini huius primi saeculi (3).

63. — Legata annuorum redditum dupli modo, iuxta doctrinam ab expositoribus traditam (4), fieri possunt:

a) *Directe*, cum Ordini immediate relinquuntur, e. gr. quotannis tot tritici mensurae;

b) *Indirecte*, cum heredi res determinata relinquitur, illum tamen gravando, ut quotannis det fratribus tot tritici mensuras.

Legata annuorum redditum sive directe sive indirecte relictum possunt esse perpetua seu ad longum tempus et ad modicum tempus facta.

Hae notiones erant ante omnia statuendae, ut ordinatim procedamus in hac implicatissima materia.

Ordo Capuccinorum nulla gaudet capacitate ad recipienda legata annuorum redditum perpetua vel ad longum tempus, sive directe ipsi fuerint relictum, sive indirecte.

Prohibetur omnino hoc genus legatorum, non quidem ratione rei relictiae, sed ratione modi expressi in relinquendo legato, nempe ut annuatim, vel per alias temporis divisiones (quotidie,

(1) Cfr. *Serena Conscient.*, q. XVII, in *Mon. Ord.*, t. II, f. 124; E. RODERICUS, *op. cit.*, cap. VI, q. 11, p. 329.

(2) Haec commutatio iuxta doctrinam in nostro Ordine receptam ab herede fit de consensu Superiorum Maioram, quod si discordes essent, iudex vel episcopus erat mediator, cuius auctoritati erat standum. Cf. HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.*, v. «legata»; p. 193; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 65, p. 511; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. VI, p. 314, ubi refert se Romae duorum advocatorum exquisivisse sententiam, qui hue traditam doctrinam firmarunt. Superiori inferiori apud Capuccinos hanc sibi facultatem minime vindicare poterant. Sie BARTH VECCHI, *op. cit.*, disp. VI, dub. XX.

(3) Cf. SILVESTRO D'ASSISI, *op. cit.*, f. 188-189; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, n. 62, p. 503, n. 64, p. 506; LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, cap. VI, 365-366. Hanc sententiam medium dixi, quia non defuerunt, qui omnium absque distinctione legatorum posse recipi aestimationem docuerant. Cf. ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI q. XI, p. 339.

(4) Cfr. B. BRENDULINO, *op. cit.*, cap. VI, f. 151r; HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.*, v. «legata», p. 195; *Serena Conscient.*, q. XIX, in *Mon. Ord.*, II, f. 123.

tertio quoque mense, vel anno) solvatur. Clemens V in decreto *Exivi Fratribus Minoribus declaravit illicitum, ipsorum conditione considerata, redditus quoscumque recipere vel habere* (1). Huius declarationis iuridica et proxima ratio est, quia anni redditus inter immobilia bona censemur a iure (2). Ratio autem remota est, quia eorum receptio nostrae mendicitatis destrueret statum, cum fratres non amplius simpliciter in spe Dei, in incertum viverent.

Iuridice, merito dici potest legatum annuorum redditum in perpetuum, vel ad longum tempus, Ordini nostro factum directe vel indirecte esse legatum rei immobilis sub modo Regulae et conditioni fratrum repugnante relictum. Ergo secundum doctrinam supra expositam, cum de legatis bonorum immobilium loquebamur, talium legatorum nec aestimatio potest recipi (3).

Non defuerunt doctores, inter quos F. Suarez, E. Rodericus, J. Castropalao et alii commumerantur (4), qui diversam pro legatis *indirecte* relictis doctrinam tradiderunt. Iuxta eorum opinionem legatum annum Fratribus Minoribus *indirecte* relictum subsistit, eo sensu, ut licet Religio ius nullum acquirat, nec possit in iudicio petere legatum, heres tamen teneatur ex voluntate defuncti in conscientiae foro ad onus ei a testatore impositum sine coactione solvendum, et si heres hoc modo solvat, potest Religio sine scrupulo legatum accipere.

Expositores capuccini huiusmodi doctrinam ignorant penitus et Ordinis nostri praxis, primo durante saeculo, est illi contraria. Plura enim in *Bullario Capuccinorum* reperimus documenta pontificia diversis Ordinis provinciis directa, quibus haec veritas vel enuntiatur, vel supponitur; saepe in illis asseritur; «fratres Capuccini, quibus perpetuos redditus habere non licet» ...;

(1) Cf. c. 1, V, 11, in *Clem.*, c. 1197.

(2) Cf. c. 1, V, 11, in *Clem.*, c. 1197.

(3) Doctrina communis expositorum Regulae et iuris peritorum. Cf. *Serena Conscient.*, q. XIX, in *Mon. Ord.*, t. II, f. 123v; B. BRENDULINO, *op. cit.*, cap. VI, f. 150; ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. XI, p. 322; T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XXVI, n. 33-34; J. DE LUGO, *op. cit.*, disp. III, sect. V, n. 102, p. 652; J. AZORIUS, *op. cit.*, lib. XII, cap. XXIII, c. 1583; GIOVANNI DA TUSA, *op. cit.*, f. 70v; HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.* v. «legata», p. 194; LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, cap. VI, p. 355-356; BARTH. VECCHI, *op. cit.*, disp. VI, dub. IV.

(4) F. SUAREZ, *op. cit.*, t. XV, lib. VIII, cap. XVII, n. 18-19, p. 667; J. CASTRO-PALAO, *op. cit.*, disp. III, p. 289; E. RODERICUS, *op. cit.*, II, q. 126, art. IV, p. 356 sq.

fratres praedicti, Capuccini, legati huiusmodi (perpetui sive directe sive indirecte relict) iuxta regularia eorum instituta, apostolica auctoritate confirmata incapaces exsistant » (1).

Clemens VII, 23 novembis 1525, concesserat Fratribus Minoribus quoddam privilegium, vi cuius Superiores « cum aliquibus discretis fratribus, sed mediantibus syndicis et procuratoribus domorum vel locorum », poterant facere cum heredibus et executoribus compositionem legatorum, quorum non erant capaces (2). Tamen hoc privilegium, ut Regulae relaxativum, fuit in nostris Constitutionibus reiectum, neque eo toto hoc saeculo utitur, ut palam asserit B. Vecchi (3), sacra Religio Capuccinorum.

64. — Nihilominus legatum annuorum reddituum non est necessario perpetuum, vel ad longum tempus; potest etiam fieri ad modicum tempus.

Circa valorem legati, in quo quid annum ad modicum tempus relinquitur, oppositae inveniuntur inter doctores sententiae (4).

Nonnulli, verbis Clementis V nixi, quibus Fr. Minores reditus quoscumque habere et accipere prohibentur (5), legata ista ad modicum tempus plene adaequant legatis in perpetuum, seu ad longum tempus relictis, quia licet pro modico tempore sint, veri sunt reditus annui, nostrae mendicitatis statui adversantes; nam fratres, saltem pro tempore quo durant, simpliciter in spe Dei non viverent ob certam spem, quam in huiusmodi legatis haberent repositam (6).

Altera vero sententia, quae est moderatior, communior et probabilius, insistens magis in sensu aliquo aequitatis, quam in rigore verborum Clementis V, huiusmodi legata valida declarata.

(1) De legatis perpetuis *directe* factis cf. B C, t. II, p. 39, 117, 226, 229, 232, 288; t. III, p. 100, 208. De legatis vero *indirecte* relictis cf. *ibid.*, t. II, 68, 74, 114, 418; t. III, p. 101.

(2) Cf. B R, t. VI, 96-97.

(3) Cf. *op. cit.*, disp. VI, dub. IV.

(4) Tempus brevius decennio ut modicum ab omnibus reputatur. Cf. J. DE LUGO, *op. cit.*, disp. III, sect. V, n. 102; T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XXVI, n. 37.

(5) Cf. c. 1, V, 11 Clem., c. 1197.

(6) Cf. J. CASTROPALAO, *op. cit.*, pars. III, disp. III, p. 289-290; F. SUAREZ, *op. cit.* t. XV, lib. VIII, cap. XVII, n. 20, p. 667, qui hanc sententiam vere probabilem reputat.

bat, nam legatum ad breve tempus, potius quam legatum annuorum redditum, censetur summa quaedam legata per modum unius, cuius vero solutio protrahitur, ex hoc enim inter res mobiles reputatur, eo vel maxime, quod per eius receptionem mendicitas non tollitur, sed aliquo tantum modo sublevatur (1).

Expositores capuccini in speculativa hac disceptatione ad unam alteramve deflectunt sententiam absque animorum consensione inde a secunda medietate saeculi decimi sexti (2). Ordo noster tamen assumpsit practice talem positionem, quae agnitus tutiorismo studio minime contradicit; purius Regula observabitur, aiunt expositores nostri, non petendo, neque acceptando haec legata (ad modicum tempus), veluti hactenus Religio nostra Capuccinorum non petiit, neque acceptavit (3).

2º LEGATA BONORUM MOBILIU

65. — Res mobiles, quae Ordini Capuccinorum legari possunt, in dupli differentia sunt: aliis fratres in propria specie uti queunt, aliis vero non. Si primae, ut panis, oleum, vinum, etc., ipsis legato relinquuntur, eas accipere pro necessitatibus praesentibus et imminentibus possunt, non autem in quantitate immoderata ad thesaurizationem (4). Si autem res mobiles legantur, quarum usus in propria specie fratribus non conceditur, ut arma, equi, etc., possunt recipi ad hoc ut per idoneas personas in res fratribus licitas commutentur, et sic in necessitates fratum convertantur; si autem eas vendere necessarium fuerit, observanda sunt normae pro sic dicto recursu ad pecuniam; quas normas infra recensebimus (5).

(1) Ita *Serena Conscient.*, q. XX, in *Mon. Ord.*, t. II, f. 124^r; B. BRENDULINO, *op. cit.*, cap. VI, f. 151^v; ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. XI, p. 321-332; T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XXVI, n. 36; J. DE LUGO, *op. cit.*, disp. III, sect. V, n. 102, p. 652.

(2) HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.*, v. «legata», p. 195; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 68, p. 513 sq.; BARTH. VECCHI, *op. cit.*, disp. VI, dub. V; CYPRIANUS CROUSERS, *op. cit.*, cap. VI, p. 392, benigniori sententiae adhaerent; SILVESTRO D'ASSISI, *op. cit.*, f. 189^r-190^v et SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. VI, p. 308, rigidiorem amplectuntur.

(3) Cf. BARTH. VECCHI, *op. cit.*, disp. VI, dub. V.

(4) Cf. HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 61, p. 503; J. CASTRO-PALAO, *op. cit.*, pars. III, disp. III, p. 288-289.

(5) Cf. SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. VI, p. 282; CYPRIANUS CROUSERS, *op. cit.*, cap. VI, p. 404.

3º LEGATA PECUNIARIA

66. — Si enim prae oculis tantum haberetur specialis Regulae seraphicae prohibitio, vi cuius nec per se nec per interpositam personam Fratres Minores denarios vel pecuniam recipere possunt (1), videretur posse absolute affirmari Fr. Capuccinorum Ordinem a receptione legatorum pecuniae debere prorsus abstinere. Attamen Nicolaus III in decretali *Exitit* (2) significavit legata pecuniaria, dummodo fuerint modo licito aut indeterminato relictia, posse a professoribus minoriticae paupertatis acceptari, non tamen simpliciter, sed pro licita eorum acceptatione requiritur, ut pecunia legata sit necessaria pro sublevanda aliqua fratrum praesenti, vel imminentि necessitate, cui per mendicationem aut laborem nequit subveniri. Pecuniae vero in rem necessariam expensio fieri debet per sic dictos amicos spirituales, et quiden eo modo, ut fratres nec usum pecuniae habere videantur. De hoc autem infra fusius erit sermo (3).

Si modo illico legaretur pecunia, v. gr. ad rem emendam pretiosam, fratribus vetitam, vel nulla adesset praesens vel imminentis necessitas, a talis legati acceptatione fratres omnimode abstinere tenentur (4).

O) *Doctrina et Ordinis praxis ab anno 1575 ad an. 1638
circa capacitatem ecclesiarum.*

67. — Quidquid Ordini et aliis personis moralibus, secundum ea quae modo exposita sunt, licet in successionibus legatariis, ecclesiis nostris indubie etiam competit. Dubitatatur autem tempore isto utrum ecclesiae maiori capacitatem gauderent; praesertim quaestio movebatur, an legatum, in quo annuus redditus perpetuus vel ad longum tempus nostris relinquitur ecclesiis, valeret necne, et utrum fundationes in ipsis fieri possint.

(1) Cf. *Regula Seraph.*, cap. IV, *ed. cit.*, p. 67.

(2) Cf. c. 1, V, 12, in VIº, c. 1117; etc. c. 1 V, 11 in *Clem.*, c. 1197.

(3) Cf. HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.*, v. «legata», p. 191; E. RODERICUS, *op. cit.*, t. II, q. 126, art. 1, p. 354 sq.; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.* cap. VI, n. 57, p. 499; CYPRIANUS CROUSERS, *op. cit.*, cap. VI, p. 405.

(4) Fratres loci Muraeponi pecuniarium legatum ipsis relictum, quia erat innecessarium, reiciunt. Cf. B C, t. IV, p. 272.

1º Legata annuorum redditum in perpetuum.

Legata annuorum redditum in perpetuum, vel ad longum tempus, directe vel indirecte relictis ecclesiis Capuccinorum, (ut si quis leget, vel heredem gravet, ut annuatim tribuat vinum, ceram, farinam pro celebratione missarum, oleum pro lampadibus, etc.) alii absolute invalida declarabant perinde ac si conventui vel Ordini facta fuissent, aguitam iam rationem subiicientes, nempe, quod Clemens V quosecumque redditus accipere Minoribus interdixit, et ubi ius non distinxerat, non erat distinguendum (1).

Opposita sententia, speculative considerata, non modo probabilius, sed certa dici poterat. Pro huiusmodi legati valore exstabant enim rationes validissimae: legatum non fratrum collegio, sed ecclesiae relinquitur, quae non prohibetur illud recipere, cum neque Nicolaus III, neque Clemens V in suis Decretalibus, neque ulla Regulae seraphicae particula obsistant, quominus aliquid annum Minorum ecclesiis relinquatur; insuper hoc legatum incertam religiosorum mendicitatem minime aufert, quia redditus non cedunt immediate in utilitatem fratrum, et ipsi aequo in certa sua mendicitate post legati susceptionem persistunt. Haec sententia ob intrinsecam probabilitatem evaserat communis inter doctores (2); alia vero absque ullo dubio tutior erat et Regulae puritati promissaeque paupertati magis conformis.

Doctores capuccini huius saeculi ferme omnes ad sententiam speculative probabiliorum configuerant (3), noster Ordo nihilominus, de more iam recepto, tutiorem vitae praxi sequitur doctrinam, ut asserit B. Vecchi, scribens: « Religio vero nostra

(1) Cf. J. AZORIUS, *op. cit.*, lib. XII, cap. XXIII, c. 1583-1584; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. VI, p. 307, ubi de opposita sententia scribit: « La qual opinione non è troppo sicura perchè è contra la dichiaratione di Clemente V qual dice, che noi siamo incapaci di annue rendite, non solo nelle cose del vivere, ma anche della Chiesa: et con effetto quel pertetuo ripugna troppo allo stato nostro povero et mendico ». CYRLLUS A BERGOMO, *op. cit.*, p. 537, n. 13.

(2) Sufficiat aliquos tantum referre: SERENA CONSCIENT., q. XX, in *Mon. Ord.*, t. II, f. 124r; B. BRENDULINO, *op. cit.*, cap. VI, f. 151r; E. RODERICUS, *op. cit.*, t. II, q. 126, art. 5; F. SUAREZ, *Opera omnia*, t. XV, lib. VIII, cap. XVII, n. 27-28; T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XXVI, n. 41-42 et alii antiquiores, quos Sanchez hic memorat.

(3) Cf. HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.*, v. « legata », p. 195; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 70-71, p. 516; P. B. VECCHI, *op. cit.*, disp. VI, dub. VI; LOUIS DE PARIS, *Exposition littérale*, cap. VI, pag. 368.

Capuccinorum, ut plurimum huismodi redditus annuos non admittit, quia etiam in hoc a providentia divina vult totaliter dependere » (1). Documenta pontificia verba allata plene confirmant (2), etiam illa « ut plurimum », nam Ordo nonnumquam talia legata recepit ad tempus, praesertim pro ecclesiarum fabricis (3).

2º Fundationes in ecclesiis Capuccinorum.

68. — Piae fundationes sensu proprio et specifice sumptae naturam induunt contractus bilateralis innominati, quo bona temporalia ex una parte dantur ad obligationem ex iustitia inducendam in persona morali ecclesiastica peragendi determinata opera pietatis in perpetuum vel in diuturnum tempus (4).

Piae fundationes hoc sensu acceptae, in Capuccinorum ecclesiis erigi nequeunt, obstat enim duplex impedimentum :

1º Ordinis nostri incapacitas contractualis ; 2º) receptio reddituum ex dote foundationum obvenientium, qui in casu fratrum mendicitati repugnarent, nam certi, et diurni essent, et immediate in eorum utilitatem cederent ; ideo unanimi doctorum traditur consensu has fundationes in Capuccinorum ecclesiis erigi non posse, et si iam erectae inveniantur in ecclesiis Ordini nostro oblatis, debent alio transferri (5).

Iuxta autem ea quae diximus de contractibus disserentes, fieri fundationes possunt alio modo, sed improppio, nempe cum omnis excluditur contractus, et fratres se ipsos ex bona fide et aequitate obligant ad certa pietatis opera perficienda absque illa obligatione, quae iuris vinculum est ; parique modo altera pars absque civili obligatione stipendia fratribus elargitur. Hic

(1) Cf. *op. cit.*, disp. VI, dub. VI; GIOVANNI DA TUSA, *op. cit.*, f. 51v.

(2) Cf. B C, t. II, 68, ubi legatum annum cereae et olei pro ecclesiae usu, ait orator quod Capucini iuxta eorum instituta apostolica auctoritate confirmata possunt recipere.

(3) Cf. BC, t. II, p. 114, legatum ad fabricam ecclesiae per sex annos recipitur; *ibid.*, t. III, p. 80; t. II, p. 247. Ioannes a Tusa, *op. cit.*, f. 52r, legatum decennale ad fabricam ecclesiae puritati Regulae contrarium non indicabat.

(4) Cf. Can. 1544, § 1; MATTHAEUS A CORONATA, *Institutiones iuris Canon.*, t. III, n. 1079; ALBERTUS A BULSANO, *Expositio Regulae*, n. 305, p. 411.

(5) Cf. ALBERTUS A BULSANO, *op. cit.*, n. 273, p. 371; B C, t. II, p. 288, ubi legatum cum onere perpetuo celebrandi missam quotidianam in ecclesia Capuccinorum Belluni institutum, ut ad alteram eiusdem civitatis ecclesiam transferatur petitur, quia dicti fratres, iuxta regularia eorum instituta, legatorum huiusmodi incapaces existunt.

modus acceptandi fundationes seraphicae paupertati minime videbatur contrarius, ut egregie probat B. Vecchi, ipsem autem in fine dissertationis suae qualis fuerit Ordinis nostri praxis his verbis patefacit: Religio nostra ad haec usque tempora ob rationabiles causas, praesertim ut purius Regula observetur has non admittit obligationes, quae neque a posteris facile admitti debent (1).

Alteri vero fundationum generi, quae laicales nominantur (2), et melius donationes piae vel pia legata dicerentur, applicanda est doctrina paulo supra memorata, cum de legatis Ordini indirecete relictis sermo erat; nam tales fundationes vera sunt legata indirecete fratribus reicta, non quidem gratuita, ut altera, sed onere gravata vel celebrationis missarum, vel aliarum functionum sacrarum.

Legata haec, vel laicales fundationes, si annuatim Ordini praestanda reliquantur in perpetuum, vel ad longum tempus, non valent (3), nec ea fratres licite accipere possunt (4); si autem quod praestatur, ad breve tempus, et quid exiguum fuerit, receptio nullo videtur iure prohiberi, « licet, addunt expositores cappuccini, nostra Capuccinorum Congregatio hactenus haec non admiserit » (5).

Non pauca huius primi saeculi documenta pontificia roborant doctrinam huc de fundationibus in ecclesiis Capuccinorum propositam, verbaque firmant expositorum nostrorum circa morem in Ordine receptum (6).

(1) *Op. cit.*, disp. VI, dub. XI.

(2) Pia fundatio in sensu lato, seu laicalis, dicitur quaelibet donatio facta ad finem pium, quae proinde comprehendit bona heredibus reicta cum onere ea in finem pium impendendi, v. gr. onus celebrandi annuatim anniversarium pro anima testatoris in ecclesia Capuccinorum. Cf. MATTH. A CORONATA, *op. cit.*, t. II, n. 1097.

(3) In quantum onus per Capuccinos erat implendum secundum testatoris voluntatem, heres tamen ab iniuncto onere minime liberatur; sacras functiones faciat ipse per alios celebrare.

(4) Cf. F. SUAREZ, *Opera omnia*, t. XV, lib. VIII, cap. XVII, n. 32, p. 671 sq.; J. DE LUGO, *op. cit.*, disp. III, sect. V, n. 103, p. 653; ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. XI, p. 332.

(5) Ita HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.*, v. « legata », p. 195 (ante annum 1596); HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 69 (post ann. 1605), p. 515.

(6) Cf. B C, t. II, p. 114, 117, 174, 183, 416, 418; B C, t. III, p. 63; B C, t. V, p. 63.

D. — *Figura iuridica legatorum Ordini relictorum.*

69. — Tandem in hac paragrapho sunt declarandae iuridicae differentiae, quae inter legata licto et illicito modo Fratribus Capuccinis reicta intercedunt; hae autem differentiae uniuscuiusque legati iuridicam figuram exprimunt.

Est enim ante omnia praemittendum, ut saepe innuimus, « Ordinem Capuccinorum nullum acquirere ius in legatis licto modo ipsi relictis, nec heredes, vel exsecutores esse » erga Capuccinos obligatione devinctos ad solvenda legata, quia Ordo noster, ratione promissae paupertatis, nullum ius nullamque obligationem in res temporales habere quit, et pro nulla re temporali potest in iudicio experiri (1). Differentiae ergo inter utramque legatorum speciem ex parte fratrum minime sunt repetendae, sed sunt praesertim reponendae in obligatione solvendi legata, et in iure exigendi solutionem legatorum.

1º) *Legata licto modo reicta.*

70. — a) *Obligatio solvendi.* Heredes vel exsecutores utroque foro tenentur Fratribus Capuccinis solvere legata, ipsis modo licto facta, quorum sunt capaces. Non tamen obligati sunt erga fratres, sed erga alios. Personae, quibus heredes obligantur sunt eadem, ac illae, quae iure potiuntur compellendi ipsos heredes via iudicaria ad solutionem legatorum.

b) *Ius exigendi.* Si heredes negligenter legati solutionem, vel simpliciter denegarent, ius seu actio ad eos etiam via iudicaria compellendos competit, iuxta doctrinam in saeculo de quo agimus traditam, infrascriptis personis, scilicet :

1º) Civitati seu syndico civitatis, in qua fratres habitant ; ius enim ad legata, facta pauperibus, recuperandum acquiritur civitati, nam quidquid pauperibus pro eorum necessitatibus relinquitur, totum videtur civitati relictum, cuius « summe interest, ut necessaria non deficiant pauperibus ». Iam vero Fratres Capuccini pauperes sunt in summa egestate constituti (2) ;

(1) Cf. c. 1, V, 11 in Clem., c. 1198; c. 3, V, 12, in VI, c. 1115.

(2) Cf. HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.*, v. « legata », p. 196 ; T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XXVI, n. 59.

2º) Episcopo, ex ratione generali, quam episcopi habebant in legatis relictis ad causas pias (1) ;

3º) Iudicibus, nec tantum ecclesiasticis, sed et saecularibus, qui agere poterant ex officio; cum vi muneric diligentem teneantur iudices adhibere curam, ut subditi suis obligationibus satisfaciant (2) ;

4º) Cuilibet de populo. Ius enim cuilibet de populo concedebat actionem, ut legata et reicta ad pias causas adimplerentur (3) ;

5º) Syndico seu Ecclesiae Romanae Procuratori, cui etiam invigilare competit, ut postremae ad causas pias voluntates fideliter exsecutioni mandentur (4).

2º) *Legata modo illico reicta.*

71. — a) *Obligatio solvendi.* Heredes vel testamentarii executores in foro externo nec obstricti erant, nec constringi poterant ad praebendum fratribus legata modo illico ipsis oblata; tamen, iuxta aliquorum placita, adhuc in hoc casu tenebantur in conscientiae foro ad legati solutionem, vi obligationis ipsis a testatore iniunctae, dummodo eam fuisse constaret testatoris intentionem, nempe, ut legatum ab eo relictum fratres omnino reciperent. Alii vero doctores etiam ab interna conscientiae obligatione heredes liberabant (5).

b) *Ius exigendi.* Actio ad solutionem huius legati exigendam nulli erat.

(1) Cf. c. 3, V, 12, in VI^o, c. 1117; Conc. Trident., sess. XXII, *de ref.*, cap. 8; HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.*, v. «legata», p. 196; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, n. 73, p. 518. Episcopis erant illi omnes aequiparati, qui sive privilegio, sive praescriptione episcopali pollebant iurisdictione. Cf. BARTH. VECCHI, *op. cit.*, disp. VI, dub. XVI.

(2) Cf. Auctores allati et *Serena Conscient.*, quaest. ultima, in *Mon. Ord.*, t. II, f. 147; A. CASARUBIOS, *op. cit.*, v. «hereditas», p. 386-387; E. RODERICUS, *op. cit.*, t. II, q. 78, art. 1; SANTI, *op. cit.*, cap. VI, p. 310-311.

(3) Cf. A. CASARUBIOS, *op. cit.*, v. «hereditas», p. 387; ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. XI, p. 333; LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, cap. VI, p. 369; B C, t. II, p. 247, ubi dicitur quomodo ante Sacram Congregationem Concilii tanquam unus de populo agit pro Capuccinis Alexander Rocconi.

(4) Cf. HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 73, p. 518; J. CASTRO-PALAO, *op. cit.*, pars. III, disp. III, p. 290.

(5) Cf. ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. XI, p. 335; T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XXVI, n. 49; B. VECCHI, *op. cit.*, disp. VI, dub. VIII.

Tales autem sunt praecipuae differentiae, quae legata modo licito facta, a legatis illicito modo relictis discernunt.

72. — Tamen Religionis Capucinorum praxis, toto hoc primo decurrente saeculo, iuridicis normis modo enuntiatis non fuit conformis; hic vero conformitatis defectus non provenit ex eo quod secundum Fratres Capuccinos ius aliud exigeret, sed quia aliter se gerere perfectius videbatur et Regulae puritati magis conforme; unde non iuris agnita exigentia, sed amor puritatis Regulae et perfectionis studium proxim in nostra Reformatione induxerunt diversam.

In praxi, diversitas ad haec capita reducitur:

a) Religio nostra syndico seu Romanae Ecclesiae procuratore minime utebatur ad compellendos heredes negligentes, ut legata solverent (1). Purius enim iudicabatur heredes compellere per episcopum, per iudices, aut per syndicum civitatis (2).

Heredum compulsio directe vel indirecte a fratribus quae sita apud episcopos, iudices aliosve (i. e. factum humiliter et absque ulla iuris habitu specie exponendo) licita a doctoribus aestimabatur (3); tamen, ut iam Clemens V admonuerat (4), nisi fratres caute et humiliter procederent, facile proximorum sequeretur scandalum, praesertim si fratres ipsi curiis assisterent, nam cum de rebus agatur in ipsorum commodum convertendis, qui foris sunt existimarent fratres aliquid ibi quaerere tanquam proprium; hoc autem scandalum, ait B. Vecchi, est adhuc verisimilius, si Capuccini haec perficiant, ob altam, quam communiter habent homines, de Capuccinis opinionem quoad contemendas huius saeculi res et divitias (5); «securius ideo erit auxilium iudicis non implorare, nisi constaret ipsum iudicem ad legata solvenda officio non iudicis, sed patris esse usurum» (6).

(1) Cf. SANTI, *op. cit.*, cap. VI, p. 311; B. VECCHI, *op. cit.*, disp. VI, dub. IX, XVI-XVII.

(2) Cf. HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 73, p. 518; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. IV, p. 203. Non defuerunt tamen, qui usum syndici ad hoc Capuccinis «a iure» interdictum esse tradidere. Cf. CYRILLUS A BERGOMO, *op. cit.*, p. 122, n. 14, p. 136, n. 11-16.

(3) Cf. S. BONAVVENTURA, *Expositio Regulae*, cap. IV, *Opera omnia*, t. VIII, p. 418; HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.*, p. 196.

(4) Cf. c. 1, V, 11, in Clem., c. 1197.

(5) B. VECCHI, *op. cit.*, disp. VI, dub. XVII.

(6) B. VECCHI, *op. cit.*, disp. VI, dub. XVII.

b) Ordo Capuccinorum, ut plurimum, nec episcopi, nec iudicis, nec aliorum expostulabat auxilium, ut ipsi iudicialiter heredes compellerent ad solutionem legatorum, quorum Ordo erat capax (1); non autem impedire poterat, quominus praedicti sponte procederent, devotione erga Ordinem compulsi.

Peroptabat tamen Ordo etiam legata modo licto relictam per «modum purae eleemosynae» recipere.

Ut arida haec materia et tot dubiis immixta absolvatur, unica tantum superest nobis quaestio, scilicet: an Capuccini possint necone per modum eleemosynae accipere, vel etiam petere legata ipsis modo illicito relictam, praesertim annua perpetua.

E. — *Legatorum per modum eleemosynae receptio.*

73. — Quamquam Fratres Capuccini legata congruo modo ipsis relictam sine iure proprio recipient, non tamen haec legata sunt merae eleemosynae, a cuius notione longe aberrant sive quaelibet actio ad exigendum, sive obligatio ad solvendum, quas nuper in legatis modo licto Ordini nostro factis comperimus. Inde apparet, quod si quaestio instituitur, an Capuccini recipere possint necone per modum eleemosynae legata eis incongruo modo relictam, omnis actio ad petendum, omnisque ad solvendum obligatio penitus denegantur.

Etiam in hac quaestione doctores in plures abeunt sententias. Sunt nonnulli qui cuilibet receptioni huiusmodi legatorum, etiam per modum purae eleemosynae, prorsus obsistunt, quia Nicolaus III, de legatis disserens Regulae seraphicae adversantibus, praecipit ut fratres per omnem modum ab eorum abstineant receptione (2). Alii vero Regulae puritati minime adversari reputant horum legatorum, etiam anni perpetui, petitionem et receptionem per modum eleemosynae, quia cum ex una parte sine iure postulentur et ex altera sine obligatione tribuantur, ad summum consideranda erunt tanquam eleemosynae moraliter, non civiliter, certae; iam vero moralis eleemosynarum certitudo statui mendicitatis minime repugnat. Huiusmodi doctrina communis inter doctores capuccinos quoque evasit (3).

(1) B. VECCHI, *ibid.*, dub. VIII.

(2) Cf. c. 3, V. 12, in VI, c. 1117; B. BRENDULINO, *op. cit.*, cap. VI, f. 151v et alii apud ipsum.

(3) Cf. ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. XI, p. 335. Capitula generalia

Legatorum tamen petitio, iuxta doctorum placita, fieri licite non poterat nisi praecessisset Superiorum scripta et sigillata declaratio heredibus vel commissariis facta, in qua se nullum ius ad legatum habere declarassent, illudque humiliter per modum simplicis eleemosynae expostulare atque recipere (1). Hac declaratione perfecta, eleemosyna quam exsecutores vel heredes elargiti essent aequiparatur omnino illis, quae ex mendicatione ordinaria et quotidiana accipiuntur.

Benignior haec sententia novo fuit munita robore, exeunte primo Ordinis saeculo, praesertim sub pontificatu Urbani VIII. Decretum enim a S. Congregatione Fabricae Principis Apostolorum de Urbe editum die decima quarta februarii anni 1633, de expresso ordine et mandato Urbani VIII, statuit: « heredes vel debitores libere posse legata perpetua Fratribus Minoribus dare, per eosdem fratres recipienda in eleemosynam, non autem per eos exigenda » (2). Idipsum fuerat paulo antea (1628) statutum et quidem « auditis theologis et aliis doctoribus tunc temporis optimi nominis » (3); et licet postea saepius idem fuerit in documentis pontificiis repetitum, specialem promeretur mentionem breve *Exponi nobis*, die 27 iulii an. 1637 publicatum, vi cuius Urbanus VIII apostolica roborabat auctoritate declarationem factam a P. Didaco de Cea, Romae Commissario Generali pro familia ultramontana, sequentis tenoris: « Declaramus dictos conventus, Fratresque Minores respective licite, valide, tuta, et salva conscientia tenere posse annua, et perpetua legata, vel certos aliquos redditus aut proventus annuos et perpetuos puritati nostrae regulae consentaneos per modum eleemosynae . . . » (4).

Minorum de Observantia Burgis an. 1523 et Assisii an. 1526 habita eamdem tradiderunt doctrinam. Cf. MICHAEL ANG. A NEAPOLI, *Chronologia historico legalis*, t. I, p. 252-253 et 255; TH. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VIII, cap. XXVI, n. 49; GIOVANNI DA TUSA, *op. cit.*, f. 70v; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 45, p. 483; B. VECCHI, *op. cit.*, disp. VI, dub. X.

(1) Cf. ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. XI, p. 335; GIOVANNI M. DA TUSA, *op. cit.*, f. 51v, 70r; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 45, p. 483; T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XXVI, n. 49 et Capitula Gen. Burgis et Assisii habita, loc. cit.

(2) Cf. MARCELLINUS DE LUCCIA, *De iure PP. Minorum S. Francisci Capuccinorum decisio*, § VII, n. 17.

(3) Cf. M. DE LUCCIA, *op. cit.*, § VII, n. 16; IDEM, *De legatis pro victu Religiosis Mendicantibus relicto*, p. 130, n. 370, p. 133, n. 374, p. 131 et p. 134, n. 375.

(4) Cf. M. DE LUCCIA, *De legatis*, p. 148, n. 391; L. FERRARIS, *Prompta Bi-*

Huiusmodi doctrina resolutionibus Romanarum Congregationum, Tribunalium sententiis, ac bullis pontificiis fuit postea iterum atque iterum stabilita, et in nostro Capuccinorum Ordine recepta (1).

His de extensione paupertatis Fratrum Capuccinorum modis, ad aliam quaestionem transeamus.

bliotheca, v. legatum, p. 306, n. 102; Cf. etiam Decretum Congregationis Fabricae sub die 28 maii an. 1639 apud LUCCIA, *De legatis*, p. 23, n. 46.

(1) Cf. M. DE LUCCIA, *De iure*, § VII, et IX; *De legatis*, p. 275 et sq., n. 623 et sq.; BIZZARRI, *Collectanea*, p. 371-372. Pro ulteriori huius doctrinae evolutione cf. CYRILLUS A BERGOMO in egregio opere *De morientium eleemosynis*.

CAPUT IV.

DE SUBIECTO DOMINII RERUM, QUIBUS UTUNTUR CAPUCCINI

74. — Ordo Fratrum Capoccinorum nihil tanquam proprium possidet; nonnullis tamen rebus ex necessitate utitur, quapropter quaestio, quae logice nunc ante oculos ponitur, sic enuntiatur: quis est illarum rerum dominus? Solutionem praebere in praesenti capitulo intendimus; duae autem periodi in parte prima distinctae hic omnino attendendae sunt et singulatim pertractandae.

Art. 1. — DE SUBIECTO DOMINII AB AN. 1528 AD AN. 1536.

75. — Cum benefactores Fratribus Capuccinis rem aliquam ad usum praebent, possunt semper eius dominium sibi retinere; si vero hoc non faciunt, iuxta declarationes pontificias Regulae, Sancta Sedes rerum suscipit dominium cum limitationibus tamen in ipsis declarationibus appositis. Lapsu vero temporis, quod ab anno 1528 ad an. 1536 decurrit, Capoccinorum Reformatio omnibus Regulae pontificiis declarationibus renuntiavit, ut in parte prima probatum est; quo facto naturaliter subsequuta est huius quaestionis de subiecto dominii singularis ordinatio iuridica.

A. — *De subiecto dominii bonorum immobilium.*

76. — Bona immobilia, quorum usus fratribus conceditur (i. e. conventus et horti), in benefactorum semper proprietate perseverant hac prima periodo decurrente, ut ipsa legislatio capuccina diserte iniungit.

Constitutiones Albacinae, pro novis fundationibus suscipiendis legem, seu normas condentes, haec statuunt: cuncta nostra loca

sint semper sub dominio vel civitatis vel particularis personae; fratres, tanquam advenae et peregrini, ea inhabitent ad beneplacitum concedentium, ita ut, cum locorum domini ostenderint se molestia aliqua affectos propter inhabitationem fratrum, loca statim absque ulla contradictione relinquant gressusque dirigant alio, ubi paenitentiam libere peragere possint (1). Idipsum, licet non ita perspicue, statutum erat paulo ante Constitutiones Albacinenses Litteris Apostolicis *Exponi Nobis* et bulla *Religionis zelus*, unde absque dubio allata Constitutionum verba desumpta sunt (2).

Constat insuper nobis ex chronographorum testimonio quomodo « magni principes, dominique et communitates invitabant fratres et orabant, ut loca eis dare possent » (3).

Ex verbis Constitutionum et chronographorum testimoniis veritas sequens haud difficulter eruitur, scilicet: loca ab illis priscis habitata fratribus fuisse semper in dominio benefactorum, qui non tantum fictam, vel nominalem, sed veram et effectivam retinebant sibi locorum proprietatem. Utrumque autem ex dicendis modo clarius apparebit.

Colligimus sane in primis chronographis edocentia testimonia Ordinis praxim undequaque fuisse praescriptionibus Constitutionum conformem, aliasque particularitates pulcherrimas.

Primi illi Patres ad Sancti Francisci mentem in novis fundationibus faciendis omnino procedebant. Impetrant primo Ordinarii loci facultatem, fundi (il sito) et conventus (la fabbrica) proprium dominum, fratribus et saecularibus manifestum, semper habent, sive singulares personae sint, sive municipia (4), Superior

(1) « Et che detti luochi che s'hanno a pigliare, et fabricare, stijno sempre sotto il dominio dell'i padroni, ouero delle città et siano sempre presi con questa condizione, che ogni volta che li si trovasse impedimento alla vita nostra li fratelli liberamente si possino partire. Et quando alli padroni non piacesse che li fratelli habitassero in detto luogo, senza alcuna contradittione s'abbiano a partire, et andar in altro luoco a far penitentia ». *Le prime costituzioni*, n. 44.

(2) « Et ad heremitoria, seu loca alia quaecumque cum concensu dominorum eorum locorum, vos conferre, et in eis habitare, ac quoties opportunum vobis visum fuerit ab eis recedere et alia loca eligere... concedimus ». Ita breve *Exponi Nobis* Clementis VII, 3 iulii 1528; EDUARDUS ALENCONIENSIS, *De primordiis*, p. 46; eadem fere verba inveniuntur in bulla *Religionis zelus*, B C, t. I, p. 3.

(3) Cf. IOANNES A TERRANOVA, *De origine*, in A O, t. XXIII, p. 216.

(4) Agnoscimus sane quinam fuerint primorum locorum domini: locus vulgariter dictus *Arcofato* pertinabat cuidam sacerdoti (Cf. EDUARD D'ALENÇON, *Les*

localis infra octavam festivitatis S. P. Francisci locum suo domino restituit (*rassegnare*), grates illi ob concessum beneficium persolvens, offerensque tanquam censem aliquos fructus horti vel acetarium: hoc facto, Superior denuo domino conventus humiliter adprecatur, ut dignetur locum pro futuro anno ad fratrum habitationem concedere; si annuit, in conscientia securi et corde grati fratres ibi habitare pergunt, sin autem, alacriter et concessi beneficii pariter memores a loco discedere tenentur. Immocum aliquid in conventuum fabricis instaurari, vel adiungi est necessarium, fratres ad illorum dominos recurrunt, ut ipsi, volentes, suis sumptibus provideant (1).

Haec autem praxis, teste Bernardino a Colpetrazzo, aliquos obtinuit annos in Religione nostra (2), immo recipitur et impunitur observanda in Constitutionibus anni 1536 (3), (declaracionibus Regulæ pontificiis iam receptis) absque dubio, ut praxis, quae iam primo invaluerat, permaneret immutata pro rebus illis et locis, quae in benefactorum tantum erant proprietate.

B. — *De subiecto dominii bonorum mobilium.*

77. — Id quod de immobilibus rebus nuper dicebamus, mobilibus bonis prorsus etiam convenit, quae necessarie in dominio benefactorum remanent, dum eorum usus fratribus permittitur. Tamen ad iuris fictionem omnino effugiendam, in omni loco a fratribus habitatato census rerum omnium alicuius valoris ad eorum

premiers couvents des Frères-Mineurs Capucins, p. 6); *Colmenzone* monachis Hieronymianis, (*ibid.*, p. 7); *Renacavata* Camerinensi ducissae, (*ibid.*, p. 11); *Monte Melone* familiae Piani, (*ibid.*, p. 15); *Fossombrone* sitas pertinebat, ut videtur municipio, ecclesia erat sub patronatu D. Biagio di Maestro Giovanni, (cf. EMIDIO D'ASCOLI, *I primi conventi dei Frati Minori Cappuccini*, p. 20); *Pietrarubbia*, pariter municipio, (EMIDIO D'ASCOLI, *ibid.*, p. 21). Cf. etiam A O, t. XXIV, p. 22; M. SANTONI, *I primordi dei Frati Cappuccini*, p. 67, in not. 19.

(1) « Et (i nostri primi Padri) volevano che tutti (luoghi) havessino padroni et una volta l'anno gli rassegnassino ai propri padroni, ringratiaandeli del tempo che ce gli havevano prestati; et gli portavano per censo alcuni frutti et una insalata.... E quando occorreva, per bisogno dei detti luoghi, qualche spesa per mantenere i tetti o per aggiungere stanze, sempre ricorrevano a' propri padroni » BERNARDINUS à COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 22-23.

(2) « Et durò parecchi anni, che da tutta la Congregatione fu osservato queste ceremonie ». Cf. BERNARDINUS à COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 22.

(3) Cf. *Const. 1536*, n. 70

simplicem et necessarium usum concessarum confici debebat, in quo, quinam essent earum domini, diligenter connotaretur; semel in anno, sicut de immobilibus diximus, propriis dominis deferebantur infra octavam S. Francisci, vel cum fieri commode poterat, et tunc caeremonia illa, supra descripta, locum habebat. Si hoc non poterat absque difficultate fieri, fratres cum res acceperant, promittebant illas donantibus statim restituere, ac eorum benevola voluntas mutaretur. Idque non solum cum rebus alicuius momenti, ut calices, paramenta sacra, fieri solitum erat, sed cum ipsis obiectis ad hortorum culturam habitis; quae omnia, cum inutilia evassissent, vel damna aliqua passa essent, propriis deferebantur dominis, ut ipsi disponerent, vel providerent (1).

Constitutiones anni 1536 praxi annorum praecedentium vim legalem tribuerunt decernentes: «che in ogni loco si tenga uno inventario, dove si scrivino tutte le cose di notabil valore, per nostro necessario et simplice uso prestate da li loro patroni» (2). Postea describitur caeremonia facienda, iam relata (3).

Huius inventarii seu census confectio negotium erat satis facile, quia conventus supellex tota erat paucissima; eoque mediante, fuit practice soluta quaestio de Ordinis vera et omnimoda parentia dominii in res temporales, licet pontificias Regulae declarationes ipse Ordo adhuc non reciperet (4).

Art. 2. — DE SUBIECTO DOMINII AB AN. 1536 AD AN. 1638.

78. — Constitutionibus anno 1536 ordinatis, iuri Capuccinorum

(1) Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *loc. cit.*, p. 22-23; RUFINO DA SIENA, in *L'Ital. Franc.*, t. II, p. 26.

(2) Cf. *Const. 1536*, n. 70.

(3) Quaenam vero res tanquam *notabilis valoris* considerarentur a priscis illis Capuccinis induci potest ex his, quae P. Bernardinus a Colpetrazzo de Francisco a Cannobio scribit: «dove stava faceva l'inventario del luogo, di chi fusse, et di tutte le cose mobili, come paramenti dell'altare, calici, tovaglie et simili; et le cose che erano nel luogo, caldai, ferramenti, schiavine et simili cose più notabili, scrivendo in esso inventario, di chi le fusseno». Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. II, p. 375.

(4) *Const. 1552* inventarii praescriptionem praetermittunt. Omissionis ratio, ait Iosephus a Monte Rotondo, *op. cit.*, p. 85, erat: «perchè spesso i padroni erano molti, o s'infastidivano». Anno 1561 S. Petrus de Alcantara, quid simile in Reformatione sua praecipiebat. Cf. AIA, 1922, t. XVII, p. 159.

adnectuntur pontificiae Regulae declaraciones non relaxativaes; ex hoc facto iuridica immutatio magni quidem momenti subsequuta est in materia de subiecto dominii rerum, quibus Ordo utebatur; tamen immutatio est pro Capuccinis tantum, quia doctrina, quae nunc in Ordine nostro recipitur a tribus saeculis fuerat in documentis pontificiis definita et iuridice praeformata.

En ordo rerum; primo agitur de subiecto dominii bonorum immobilium; dein de subiecto dominii bonorum mobilium; tandem de nonnullis quaestionibus connexis, praesertim de subiecto dominii pecuniae, rerumque superfluarum et pretiosarum.

A. — *De subiecto dominii bonorum immobilium.*

79. — Immobilia bona, quorum usus facti unice Capuccinorum Ordini convenit etiam in hac secunda periodo, sunt conventus et horti cum ecclesiis, vel oratoriis.

1º) *Conventus et horti.* Ab ipso Ordinis exordio et per totum primum saeculum plurimae personae, physicae et iuridicae, « Capuccinorum pietate, sanctitate, virtute et doctrina concitatae » (1) plura loca illis concessere ad habitandum, atque coenobia a fundamentis exstruxerunt. Inter has personas Cardinales repeatimus (2), Episcopos (3), Canonicorum capitula (4), Abbates et monasteria (5), municipia et communitates (6), Magnates aliosque particulares (7), qui omnes, dum conventus (situm vel fabricam) fratribus concedunt, possunt eorum sibi retinere proprietatem nonnulli, ut aliqui faciunt; si ita fit, libertatem plenam retinent loca repetendi, quando arriserit ipsis, atque fratres, perseverante tantum concedentis voluntate, ibi inhabitare poterant; mutata vero, ac ipsis patetfacta, continuo loca dimittere tenebantur (8).

Si autem benefactores dominium non sibi reservant, locorum proprietas in Romanam Ecclesiam transiit ne loca sub incerto viderentur dominio posita.

(1) Cf. BC, t. V, p. 212.

(2) Cf. BC, t. V, p. 59.

(3) Cf. BC, t. III, p. 126; BC, t. V, p. 67, 208.

(4) Cf. BC, t. V, p. 209.

(5) Cf. BC, t. V, p. 68, 230.

(6) Cf. BC, t. II, p. 104-105, 182, 256; BC, t. V, p. 163, 210; BC, t. VII, p. 397.

(7) Cf. BC, t. II, p. 170, 223, 320; BC, t. III, p. 18; BC, t. V, p. 368.

(8) Cf. c. 3, V, 12, in VI^o, c. 1114.

Saepius hoc Romani Pontifices edixerunt, atque authentice declararunt. Ne autem absque necessitate pontificia multipli- centur testimonia, iuvat tantum verba referre Nicolai IV, qui in constitutione *Quia nonnulli* (30 april. 1280) decrevit: «domos, loca... et immobilia, quorum usum habetis ex licto... in ius et proprietatem Beati Petri suscepimus, illis ex eis dumtaxat exceptis, in quibus expresse donatores seu translatores sibi proprietatem et dominium constiterit reservasse» (1).

Eandem tradiderunt doctrinam alii Pontifices (2), Ioanne XXII non excluso, qui aliunde traditam a Nicolao III et Nicolao IV doctrinam circa mobilia bona rescidit, vel saltem valde restrinxit (3).

Postquam ergo Regulae declarationes ad ius Capuccinorum transierunt, conventus et horti, quibus ipsi fratres utuntur, sub certo proprietatis subiecto, ab illis omnino diverso, sunt positi, cum vel ad benefactores vel ad Apostolicam Sedem pertineant.

80. — 2º) *Ecclesiae et oratoria*. De ecclesiis, oratoriis et coemeteriis sequentia edixerat Nicolaus III in decretali *Exiit*: «Loca vero seu domos, pro habitatione fratrum... perseverante tan- tum voluntate concedentis inhabitent, ac illa libere, praeter ec- clesiam et oratoria ad ecclesiam destinata, et coemeterium, quae tam ad praesentia quam ad futura in ius et proprietatem no- stram et predictae Romanae Ecclesiae simili modo et auctoritate recipimus, mutata concedentis voluntate ac ipsis fratribus patefacta, dimittant» (4).

Alia atque alia apud doctores invenitur horum verborum in- terpretatio: nonnulli clarissime docuerunt posse benefactores ecclesiarum et oratoriorum sibi dominium retinere (5), dum alii, quorum sententia nobis magis veritati videtur consona, eccle-

(1) Cf. BC, t. VI, p. 71.

(2) NICOLAUS III, const. *Exiit*, c. 3, V, 12, in VIº, c. 1114; INNOCENTIUS IV, *Ordinem vestrum* (14 nov. 1245), in BC, t. VI, p. 23; CLEMENS V, const. *Exivi* (6 maii 1312), c. 1, V, 11 in Clem., c. 1196 fine et c. 1197; MARTINUS V, *Amabiles fructus*, 1 nov. 1428, in BC, t. VI, p. 127.

(3) Cr. c. 3, 14, in Extrav. Joann., XXII, c. 1229.

(4) Cf. c. 3, V, 12, in VIº, c. 1114.

(5) HIERONYMUS A POLITIO, *Expositio cum dubiis*, cap. VI, n. 14, p. 436; ALBERTUS A BULSANO, *Expositio Regulae*, n. 282, p. 381 sq.; quod et Nicolaus IV in textu paulo supra citato non obscure edocet, B C, t. VI, 71.

siarum et orattiorum proprietatem semper penes Apostolicam Sedem esse absolute tradiderunt (1), nec desunt denique alii, qui minus clara Nicolai verba ambiguo modo interpretantur (2).

B. — *De subiecto dominii bonorum mobilium.*

81. — Doctrina de immobilibus bonis modo exposita mobilibus integre applicatur, quae summatim paucis his exprimitur verbis: Apostolica Sedes recipit tamquam propria mobilia bona, quibus licet utitur Capuccinorum Religio, cum donantes expresse dominium non sibi reservarunt.

Huius pontificiae acceptationis motiva pars, et dispositiva optime profertur in decretali *Exitit*, quam aliunde conditam sciimus studio et auxilio virorum in iure peritissimorum, inter quos sunt cooptandi Hieronymus Asculanus, qui fuit postea Nicolaus IV, et Benedictus Gaetani, postea Bonifatius VIII (3).

En pars *motiva*: «Quum fratres ipsi nihil sibi in speciali acquirere, vel eorum ordini possint etiam in communi, et quum aliquid propter Deum ipsis offertur, conceditur vel donatur, ea, si secus non exprimat, offerentis, concedentis vel donantis verisimiliter credatur intentio, ut rem huiusmodi oblatam, concessam, vel donatam perfecte concedat, donec auferat (4) a se abdicet, ac in alios transferre cupiat propter Deum, nec sit persona, in quam loco Dei congruentius huiusmodi rei dominium transferat, quam sedes praefata vel persona Romani Pontificis Christi Vicarii, qui pater est omnium et Fratrum Minorum nihilominus specialis: ne talium rerum sub incerto videatur esse dominium, quum patri filius suo modo, servus domino, et monachus monasterio res sibi oblatas, concessas vel donatas acquirant: (*Sequitur pars dispositiva*): omnium utensilium et librorum, ac eo-

(1) Cf. B. BRENDULINO, *Expositione*, cap. VI, f. 137; GIOVANNI DA FANO, *Dialogo de la salute*, p. 69; *Discorso circa la povertà*, in AO, t. XXVII, p. 202; SILVESTRO D'ASSISI, *op. cit.*, cap. VI, f. 170^r; SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XVIII, n. 15; P. MARCHANT, *op. cit.*, cap. IV, p. 201.

(2) ANT. DE CORDOBA, *Expositio evangelicae Regulae*, cap. VI, q. 291; SANTI TESAURO, *Expositione sopra la Regola*, cap. VI, p. 267; LOUIS DE PARIS, *Expositio littérale*, cap. VI, p. 403.

(3) Cf. H. HOLZAPFEL, *Manuale historiae*, p. 41.

(4) Melius alii legunt: «donet et auferat», ut H. SBARALEA, in BF, t. III, p. 409, quia «donec auferat», ut legit Friedberg, sensum non habet.

rum mobilium praesentium et futurorum, quae et quorum usum fructum (1) scilicet Ordinibus (2) vel fratribus ipsis licet habere, proprietatem et dominium, quod et felicis recordationis Innocentius Papa IV praedecessor noster fecisse dignoscitur, in nos et Romanan Ecclesiam plene et libere pertinere (3) hac praesenti constitutione in perpetuum valitura sancimus » (4).

Iam ante decretalem *Exiit*, ut ipse Nicolaus III indicat, et post illam saepius eandem tradiderunt vel confirmarunt doctrinam iurisque dispositionem Pontifices Romani; unus, Ioannes XXII, traditam hic et a Nicolao III firmatam positionem aliquatenus immutavit (5), sequentes vero Pontifices Ioannis XXII dispositiones revocarunt, doctrinamque traditionalem denuo approbarunt (6).

Aliquando nonnulli doctores, praesertim non franciscani, minus accurate de hac materia disserunt (7); aliique tunc temporis receptam apud plures sententiam circa subiectum immediatum dominii bonorum ecclesiasticorum Minoritico Ordini applicant, nempe: verum dominium omnium rerum, quae Religionibus conceduntur Minoriticis speciali quodam titulo esse

(1) Ita Friedberg; H. Sbaralea (*loc. cit.*) melius legit usum facti; hanc veram esse lectionem ex eo constat, quod nullius rei potest Ordo Franciscanorum habere usumfructum.

(2) H. Sbaralea (*loc. cit.*) legit «Ordini».

(3) Apud alios diverse haec ultima verba referuntur, sic: «.... fecisse dignoscitur in nos et Romanam Ecclesiam *apostolica auctoritate recipimus, et ad ipsam Ecclesiam plene et libere pertinere* hac praesenti Constitutione in perpetuum valitura sancimus». BC, t. VI, p. 71. Nonnulla verba, ut appareat, omittuntur in lectione a Friedberg prolata, quae minus grammaticae exigentia conformatur, dicit enim: «*in nos*» et Romanam Ecclesiam «pertinere».

(4) c. 3, V, 12, in VI^o, c. 1114.

(5) Cf. Const. *Ad Conditorem canonum* (8 dec. 1322), c. 3, 14, in Extrav. Joannis, XXII.

(6) INNOCENTIUS VI, const. *Ordinem vestrum* (14 nov. 1245), BC, t. VI, p. 23; ALEXANDER IV, const. *Ordinem vestrum* (20 febr. 1257), BF, t. II, p. 196; MARTINUS IV, const. *Exultantes in Domino* (18 jan. 1283), BC, t. VI, p. 67; CLEMENS V, const. *Exivi* (2 mar. 1312), c. 3, V, 11, in Clem.; MARTINUS V, const. *Amabiles fructus* (1 nov. 1428), BC, t. VI, p. 127; EUGENIUS IV, const. *Licet debitum* (10 nov. 1439), BC, t. VI, p. 138.

(7) Ita v. gr. doctor Navarrus, qui docuit dominium omnium rerum donatarum franciscalibus esse apud Pontificem, et D. Bañez asserens vel esse apud Pontificem, vel apud Rempublicam vel apud dantem. Cf. TH. SANCHEZ, *De praecepiis*, lib. VII, cap. XVIII, n. 9-14.

apud Deum, alii patrimonialia dicebant D. N. Jesu Christi ; apud Summos Pontifices, iuxta eos erat ius supremum et generale administrationis, ius illud, i. e. quod aliae religiones, possidendi capaces, apud se retinebant (1).

Huiusmodi vero doctrina merito confutabatur, eo quod Romanis Pontificibus in bonis ad nostri Ordinis usum concessis talia iura competit, quae illa simplicis administratoris excedunt. Doctrina vero a nobis hucusque exposita traditur communiter a doctribus sive franciscanis, sive capuccinis (2).

C. — *De subiecto dominii rerum superfluarum et pretiosarum.*

82. — Communiter doctores nostri, de rerum ad Ordinis usum concessarum domino disputantes, aliam quaestionem connexam, momento doctrinali et practico minime destitutam, attingunt, scilicet : quisnam sit dominus rerum superfluarum, vel pretiosarum, si aliquando fratres has res ad usum proprium recipieren. Praesertim quaestio movetur, ut aptius definiri possit utrum S. Sedes talium rerum dominium apud se recipiat necne. Ad materiae complementum omnino necessarium est haec saltem indicare, scilicet : dubitandi causam, diversasque doctorum solutiones, necon apud Capuccinos hoc saeculo doctrinam receptam.

1º *Ratio dubitandi.* Pontificiae ipsaemet declaraciones Regulae praebent dubitandi occasionem, quia expresse in illis asseritur Romanam Ecclesiam apud se earum rerum suspicere dominium quarum usus facti est fratribus licitus, non indifferenter rerum omnium (3) ; et sunt ipsi Romani Pontifices, qui rerum superfluarum et pretiosarum usum facti Minoribus interdictum esse declarant. Sic Nicolaus III in decretali *Exitit* : « Insuper nec utensilia, nec alia praeter eorum usum ad necessitatem et officiorum

(1) Hanc enim doctrinam una alterave accidentalni differentia edocuerunt inter alios : L. MIRANDA, *Manuale praelatorum*, t. I, q. XXVIII, art. V ; J. AZORIUS, *Institutiones morales*, lib. XII, cap. X, c. 1510 ; E. RODERICUS, *Quaestiones regulares*, t. III, q. 29, art. 5 ; HYACINTHUS DE CASALE, *Tractatus de paupertate religiosa*, cap. XII, p. 51.

(2) Cf. S. BONAVENTURA, *Determinationes quaest.*, pars I, q. 24, *Opera omnia*, t. VIII, p. 354 ; LANTUSCA, *Theatrum Regularium*, v. bona temporalia, n. 9, Romae, 1666 ; HIERONYMUS A POLITIO, *Expositio cum dubiis*, cap. VI, n. 13, p. 434 sq.

(3) Cf. NICOLAUS III : c. 3, V, 12 in VIº, c. 1114 ; NICOLAUS IV, const. *Quia nonnulli* (30 apr. 1280), B C, t. VI, p. 71.

sui status exsecutionem (1), (non enim omnium rerum usum habere debent), ad ullam superfluitatem, divitias seu copiam, quae deroget paupertati... recipiant » (2). Et clarius adhuc Clemens V in decretali *Exivi*: « Superfluitas autem, aut nimia pretiositas, vel quaecumque curiositas in his (vasis et paramentis sacris) seu aliis quibuscumque non potest ipsorum (Minorum) professioni vel statui convenire » (3).

2º *Solutiones diversae*. His Pontificum verbis compulsi nonnulli doctores existimabant res superfluas, pretiosas, aut curiosas nunquam ad Ecclesiae Romanae dominium transire, etiamsi de facto illis utatur Religio nostra, talia enim secundum eorum sententiam, Pontifices repudiant, sicut bona illa, quorum dominium benefactores sibi reservarunt (4).

Alii tamen, res a rebus distinguentes, medium viam, sententiamque benigniorem amplectuntur. Sunt enim, ut ipsi opinantur, res aliquae, quarum usus ex ipsamet rerum materia fratribus est vetitus, v. gr. denarii, et sunt pariter res, quarum usus ratione materiae Ordini probatur concessus, et illicitus fieri potest tantummodo ex circumstantia aliqua, v. gr. ratione quantitatis (superfluae), vel ratione qualitatis (pretiosae, curiosae). Qua distinctione constituta, agitata quaestio, scilicet utrum S. Sedes rerum superfluarum, etc., dominium apud se recipiat, non difficulter solvitur. Sedes Apostolica, iuxta horum doctorum placita, non respuit earum rerum dominium, quarum usus ex quacumque causa est fratribus illicitus, sed earum tantum rerum quarum usus ratione ipsius materiae nullo unquam modo est fratribus, sive Ordini licitus; iamvero, cum rerum superfluarum usus sit licitus ratione materiae, et illicitus evadat tantum ratione circumstantiarum, sequitur S. Sedem talium rerum dominium apud se recipere, si donantes illud sibi minime reservarunt (5).

Talis erat huiusmodi quaestionis status doctrinalis; qualis vero fuerit Fr. Capuccinorum conditio nunc dicendum nobis est.

(1) H. Sbaralea addit: « licet habere », B F, t. III, p. 409.

(2) c. 3, V, 12 in VI^o, c. 1114.

(3) Cf. c. 1, V, 11 in Clem. c. 1198.

(4) Cf. Speculator apud ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. I, p. 292: P. MARCHANT, *Expositio literalis*, cap. VI, p. 202.

(5) Cf. ANT. DE CORBUDA, *op. cit.*, cap. VI, c. 1, p. 292 et cap. IV, q. VII; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 17, p. 439.

3º *Capuccinorum conditio.* Huius primi saeculi legislatio Fratrum Capuccinorum propria saepe constanterque superfluitatem, curiositatem et pretiositatem omnem in rebus ad fratrum usum concessis interdicit, sive in alimentis (1), sive in hortis (2), sive in supellectili sacra (3), et generali modo in omnibus utensilibus ad usum Ordinis destinatis. « Guardinsi li frati che in le cose pertinente al divino culto, nè in li edifici, nè in le massaritie quale usano, niuna curiosità si trovi, nè superfluità o preciosità » (4). Attamen in fontibus legalibus neutra sententia proponitur, etsi in eis illa satis innui videatur, iuxta quam Sedes Apostolica superfluarum rerum non accipit proprietatem.

Aliunde vero plane constat negativam sententiam fuisse in Ordine nostro speculative receptam et practice retentam.

Chronographi equidem nostri, inter quos non desunt, qui testes fuerunt oculares vitae Fr. Capuccinorum primaevae, enarrant quomodo Vicarii Generales in canonica visitatione consueverant loca, ubi fratres exiguae conservabant provisiones, invisere, et si superfluum aliquid detegebant, statim illud vel dominis restitui, vel pauperibus distribui praecipiebant, innixi Nicolai III auctoritate secundum quam « Ecclesia rerum superfluarum non accipit dominium, et fratres, res supervacaneas detinentes, censentur veri proprietarii » (5).

Ob hanc causam, ait P. Marius a Mercato Sareceno, tum singuli fratres cum Religio res effugiebant superfluas sicuti aufugitur ignis (6). Inde sequebatur, ut innuit Z. Boverius, quod

(1) Cf. *Const. 1529*, n. 16; *Const. 1536*, n. 83.

(2) Cf. *Const. 1536*, n. 80.

(3) Cf. *Const. 1536*, n. 140.

(4) Cf. *Const. 1529*, n. 57; *Const. 1536*, n. 144.

(5) Cf. RUFINO DA SIENA, *op. cit.*, in *L'Italia Franc.*, 1929, t. III, p. 418, qui uti videtur a Bernardino a Colpetrazzo haec mutuatus est. « Tutto il superfluo nelle visite i Vicari lo facevano dare per amor di Dio. Et così facevano di tutte le cose, insino a boccali, rami ferramenti, panni della sacrestia et simili; chè con molta diligentia in tutte le visite facevano dispensar via il superfluo ». Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 24. Hanc agendi rationem observarunt Bernardinus ab Asti, Ordinis Vicarius generalis an. 1535-1538 et 1546-1552, atque Franciscous a Iesi, qui Ordinem moderatus est an. 1543-1546. Cf. RUFINO DA SIENA, *op. cit.*, in *L'Italia Franc.*, 1927, t. II, p. 418, t. IV, p. 25, 511.

(6) « Fuggendo quanto più potevano e come dal fuoco, ogn'uso di cose superflue e non necessarie, sapendo che la Chiesa Santa ha pigliato il dominio e proprietà solamente delle cose necessarie alla Religione e non di cose superflue;

in monasteriis summa duntaxat rerum necessitas eluceret, immo ad maiorem securitatem «rerum non necessariarum ac superfluarum usum ita a se fratrum illa communitas expellebat, ut quod longius a rerum superfluitate abesset, ipsa quoque, quae necessaria erant, serupulositate quadam saepissime tanquam supervacanea resecaret» (1).

Concors chronographorum testimonium, manifestantium qualis fuerit Ordinis nostri in hac re assumptum propositum, corroborant doctores capuccini, qui primum de Regula scripserunt; ipsi enim sententiam, practice in Ordine receptam, speculative propugnant (2).

Exeunte vero saeculo decimo sexto, traditionalis disrumpitur unanimitas, et iam doctrinalis inter expositores capuccinos advertitur scissio. Hieronymus a Politio, Vicarius Generalis (1587-1593), acerrimus tamen Ant. de Corduba sectator, aliquie expositores capuccini sententiam Cordubensis probabiliorem censent (3); alii vero fortiter adhuc resistunt, hanc sententiam omni prorsus securitate destitutam declarantes (4).

D. — *De subiecto dominii pecuniae.*

83. — Quisnam est pecuniae pro fratrum necessitatibus donatae dominus seu possessio, vel quisnam huius pecuniae dominium habet? Huiusmodi quaestioni doctores solutionem praebabant diversam. Quidquid de hac materia scriptum primo nostri Ordinis saeculo apud doctores reperimus, non potest indiscriminatim Capuccinis applicari; interest ideo hanc quaestionem singulatim agitare, ut clare praefiniatur doctrina apud Fratres Capuccinos hoc tempore recepta.

Iuxta Regulæ Seraphicae praeceptum in capite IV, de quo

e di questa superfluità non solo tutta questa poca e novella Congregatione se ne guardava, ma ogni Frate in particolare ». MARIUS A MERCATO SARACENO, *Relations*, p. 249. Ipse Marius exstitit supremus Ordinis Moderator an. 1567-1573.

(1) Cf. Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, an. 1529, p. 127, LXXXII.

(2) Cf. GIOVANNI DA FANO, *Discorso circa la povertà*, A O, t. XXIII, p. 202; GREGORIO DA NAPOLI, *Regola unica*, p. 246, 292.

(3) *Op. cit.*, cap. VI, n. 17; LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, cap. VI, p. 404-406.

(4) Cf. «Questa opinione non pare niente sicura, perchè il Papa non fa distinzione alcuna, tra la materia et altre circostanze» Ita SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. VI, p. 268.

infra fusius, franciscalibus interdictus est simplex usus pecuniae, (praeter quamlibet proprietatem vel civilem administrationem) et quidem ratione ipsius materiae, non solum ex qualibet circumstantia. Igitur videretur absolute dicendum esse Sedem Apostolicam pecuniae, seu denariorum dominium nunquam ad se attrahere, sed haec in dominio et libera donantium dispositione remanere, dum per personas a benefactoribus designatas in Ordinis necessitatum levamen non expenduntur. Attamen contendebatur inter doctores quisnam dominium acquireret;

a) eleemosynae pecuniariae, quae a benefactoribus conceditur, sed ita ut ipsi pecuniae dominium velint omnino renunciare; et praesertim;

b) eleemosynae pecuniariae per legatum relictæ. Difficultatis ratio in eo est, quod si legatae pecuniae dominium nec Ordo, nec heredes recipiunt, aut ad Sedem Apostolicam transit, aut remanet tanquam bonum nullius; nam non potest ad testatorum pertinere, quia legatum non nisi post testatoris obitum vim obtinet.

Dubitandi motivum agnoscebatur a pluribus, nec deerant qui apostolicam huius rei declarationem vehementer exoptabant (1). Quaestio autem diversimode solvebatur.

Doctores nonnulli pecuniam in his casibus ad Sedem Apostolicam pertinere docebant; immo aliqui hoc extra quamlibet controversiam positum esse declarabant, attenta huius negotii immutatione a Summis Pontificibus facta, cuius vi dominium pecuniae non deinceps apud donantes remanebat, sed ad Sedem Apostolicam transibat (2). Hanc immutationem Martino V et Paulo III tribuebant.

Haec tamen doctrina et solutiones practicae ex ea deductae in Ordine Capuccinorum nullo prorsus modo recipiuntur; tanquam inconcussum principium ab exordiis nostrae Reformationis admittitur: «pecunias Capuccinis sive inter vivos donatas, sive legatas, nunquā ad Sedis Apostolicae dominium transire, et semper in benefactorum dominio remanere, dum in res fratribus necessarias non convertuntur» (3).

(1) Inter alios IOANNES A FANO, *Dialogo de la salute*, p. 120 sq.

(2) Cf. E. RODERICUS, *op. cit.*, t. II, q. 125, art. 6; T. SANCHEZ, *op. cit.*, lib. VII, cap. XVIII, n. 16 et 21; J. DE LUGO, *op. cit.*, disp. II, sect. III, n. 55; *Sereniss. Conscient.*, q. LIII, in *Mon. Ord.*, t. II, f. 131v.

(3) Cf. GIOVANNI DA FANO, *Dialogo, de la salute*, p. 111; GREGORIO DA NA-

Ad propositos casus expositores nostri ita respondebant :

Ad primum : Si benefactores pecuniam absolute fratibus offerant, eius dominium expresse renuntiantes, Capuccini pariter eam absolute reiciant (1).

Ad secundum : Eleemosyna pecuniaria fratibus legata, iuxta doctrinam S. Bonaventurae, « manet in bonis defuncti, donec sit pro fratrum necessitatibus commutata, in bonis, inquam, defuncti erogandis, non heredibus reservandis » (2).

Contraria doctrina ab aliis doctoribus tradita, quae immutationi a Martino V factae adscribitur, tantum illis Franciscalibus proderat, qui Martini V syndicum exceperant, non autem aliis, inter quos certe numerantur Fr. Capuccini, qui unice admittebant syndicium Nicolai III, et ab illo Martini IV et Martini V, tanquam minus Regulae puritati conformi, omnino abstinebant (3).

Tandem, ut huic capiti finem imponamus, nobis superest sequentem apponere considerationem.

Si aliquando difficulter determinari possit, quisnam sit iudice dominus rerum, quibus nostra utitur Capuccinorum Religio, non exinde necessario sequitur, quod sit ipsa dominii subiectum ; nemo enim alicuius rei acquirit proprietatem, nisi vere, vel interpretative habeat animum illam acquirendi. Ut Regula Seraphica observetur sufficit, ut fratres nolint, et se nolle protestentur aliquid civiliter acquirere, vel habere tanquam proprium. Regula enim praecipit, quod fratres nihil sibi approprient, non autem, quod res, ad illorum usum concessae, in determinatae

POLI, *op. cit.*, cap. VI, p. 291-292 ; HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.*, v. dare, p. 274 ; LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, cap. VI, p. 350-355 ; SANTI TESAURO *op. cit.*, cap. VI, p. 267 et 296 ; CYRILLUS A BERGOMO, *De morientium eleemosynis*, p. 117, n. 16.

(1) In hoc casu ait Joannes a Fano : « devono li frati dire che si tenga la sua pecunia per sé, perchè non vogliono per loro la sia depositata, non riservandosi il dominio ». *Dialogo de la salute*, p. 120 ; SILVESTRO D'ASSISI, *Dichiaratione*, f. 129r.

(2) *Expositio super Regulam*, cap. VI, *Opera Omnia*, t. VIII, p. 418.

(3) Cf. L. MIRANDA, *op. cit.*, t. I, q. XXVIII, art. X ; ANT. DE CORBUDA, *op. cit.*, cap. VI, q. I, p. 292 et cap. VI, VIII, p. 205. Quae autem noster Hieronymus a Politio (*op. cit.*, cap. VI, n. 16, p. 438), sequens Ant. de Corduba, de legis pecuniariis simpliciter scripsit : « pecuniaria legata, quae fratibus fiunt, eorumque dominium, Romana in se Ecclesia recipit », non possunt Capuccinis applicari, ut agnoscat aliunde implicite ipse auctor (cap. IV, n. 51, p. 380) ; HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.*, v. syndicus p. 376 ; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. VI, p. 296.

personae sint dominio; nulla enim repugnantia apparet in eo, quod sint nullius (1), sicuti Doctor Eximus optime declarat dicens: «quod non est necessarium ut res, alicui personae in particulari applicatae ad usum facti, sint sub eius, vel alterius dominio», et hoc sive agatur de rebus, quae prius sub nullius dominio erant (2), sive de illis, quae prius iam dominum habebant; nam, ait ipse, potest esse ex una parte efficax abdicatio dominii, et non sequatur tamen in altera adquisitio dominii, ut contingit in simonia; qui pretium dat eius dominium amittit, et alter non acquirit; quod autem ibi fit ex dispositione legis, potest etiam ex partium voluntate contingere (3).

(1) Cf. P. MARCHANT, *op. cit.*, cap. IV, p. 199-200; CYPRIANUS CROUSERS, *Lectiones paraeneticæ*, cap. VI, p. 343; CYRILLUS A BERGOMO, *op. cit.*, cap. 81, n. 16.

(2) Ut si homo paupertatis voto adstrictus aliquid, v. gr. ad suum usum pi-
scaretur.

(3) Cf. F. SUAREZ, *Opera omnia*, t. XV, lib. VIII, cap. V, n. 37, p.

C A P U T V

DE RERUM ADMINISTRATIONE SEU DE SYNDICO APOSTOLICO

84. — Complura ex his, quae sub rubrica de rerum administratione pertractari poterant, iam explicata sunt cum de extensione seraphicae paupertatis actum est; quapropter hoc loco tantum de syndico apostolico disserere intendimus.

Nomine syndici apostolici, qui in documentis pontificiis *procurator, oeconomus* (1) et etiam *administrator* nuncupatur (2), venit iuridicum illud institutum quod unice ordinatur ad administrationem bonorum, seu rerum temporalium, quae sunt in usu Fratrum Minorum et in vero Sedis Apostolicae dominio. Itaque sic definiri potest: Syndicus est persona, quae a fratribus nominata, auctoritate Papae seu Romanae Ecclesiae instituitur, ut eius nomine ea fratrum negotia expeditat, quae in Apostolicis Constitutionibus determinantur.

Huiusmodi instituti ratio elucet ex eo, quod interdum nonnullae actiones iuridicae necessario fieri debent circa bona temporalia, quae sunt in usu fratrum et in dominio Sedis Apostolicae; iam vero cum fratres sint ex voto paupertatis incapaces talia perficiendi, Romani Pontifices consuluerunt concedentes, ut persona aliqua, Ordini aliena, praedictae Sedis nomine et auctoritate nonnulla negotia iuridica exsequeretur.

Licet institutum syndici sit unum, plures tamen syndici iuridice distinguuntur ratione facultatum, quas Pontifices in privilegiis syndacatus et constitutionibus decursu temporis eis tribuerunt. Praecipui considerandi sunt sequentes, scilicet: syndicus Gregorii IX, Innocentii IV, Nicolai III, Clementis V, Mar-

(1) Cf. c. 3, V, 12 in VI^o, c. 1118.

(2) Cf. B C, t. VI, p. 67; B C, t. VI, p. 132.

tini IV et Martini V (1). Quamvis historiam p̄ae oculis habere opertet, minime intendimus evolutionem historico-iuridicam syndici contexere, sed tantum determinare partem pro nostro argumento positivam, scilicet, Ordinis nostri Capuccinorum comparate ad syndicum Apostolicum in hoc primo saeculo conditionem iuridicam.

Art. 1. — DE SYNDICO APOSTOLICO APUD FR. CAPUCCINOS
AB ANNO 1528 AD AN. 1536

85. — Dictum est paulo supra res ad nostri Ordinis usum concessas ab anno 1528 ad an. 1536 in Sedis Apostolicae dominium minime transferri, ideoque hac periodo syndici in Ordine nostro receptio fuit iuridice inutilis et impossibilis. Quod quidem non tantum ex logica deductione liquet, verum et in ipsis Alba-cinae Constitutionibus (1529) syndici prohibitionem comperimus sancitam verbis, quae ex S. Patriarchae labiis excisa facile crederentur : « Nec procuratores, nec syndicos nominamus, quoniam Regula inviolabiliter servatur ; ordinamus ut procurator et syndicus nobis alius non sit praeter quam Christus benedictus, procuratrix vero nostra et protectrix sit Domina Mater Dei, noster quoque substitutus sit ipse Pater Franciscus » (2).

Haec autem omnimoda syndici ex parte Capuccinorum renuntiatio magnam ostendit eorum repugnantiam contra exsistentem in Observantia iuris statum, sicuti facile appareat, si consideratur, quod Fratres Minores de Observantia Cismontani, ex quibus primi Capuccini procedebant, syndico Martini V utebantur, eo nempe qui amplioribus inter omnes syndicos facultatibus gaudebat, quique in multorum sententiam, tantum per pontificiam Regulac Seraphicae dispensationem poterat admitti (3).

(1) Circa historiam syndici iuvat haec documenta pontificia afferre : GREGORIUS IX, const. *Quo elongati* (28 sept. 1230), B C, t. VI, p. 11-12; INNOCENTIUS VI, const. *Quanto studiosius* (19 aug. 1247), B C, t. VI, p. 25 et const. *Ordinem vestrum* (14 nov. 1245), B C, t. VI, p. 23; NICOLAUS III, const. *Exxit* : c. 3, V, 12 in VI^o; CLEMENS V, const. *Exivi* : c. 1, V, 11 Clem.; MARTINUS IV, *Exultantes in Domino* (18 jan. 1283), B C, t. II, p. 67; MARTINUS V, *Amabiles fructus* (1 nov. 1428), B C, t. VI, p. 127 et *Constitutiones Martinianae*, cap. IV, B C, t. VI, p. 127; SIXTUS IV, *Dum fructus uberes* (28 febr. 1471) in L. WADDINGUS, *Annales Minorum*, t. XIV, 537-538.

(2) *Const. 1529*, n. 36.

(3) Cf. ANT. DE CORDUBA, *Expositio evangelicae Regulae*, cap. IV, q. XVII, p. 246;

Ita enim novo exemplo illius assertionis veritas comprobatur: omnes fere articuli Constitutionum Albacinae contra abusus tunc temporis exsistentes diriguntur (1).

Art. 2. — DE SYNDICO APOSTOLICO APUD FR. CAPUCCINOS
AB ANNO 1536 AD AN. 1638.

86. — In Constitutionibus nostris anni 1536 recipiuntur pontificiae declarationes Regulae, quae in omnium opinione eiusdem puritati minime aestimabantur contrariae; huiusmodi erant declarationes Nicolai III et Clementis V in decretalibus *Exiit* et *Exivi*. Harum declarationum totalis et inconditionata in Ordine receptio secum fert immutationem iuridicam relate ad institutum syndici, quia in decretali *Exiit* syndicus cum determinatis facultatibus Fratribus Minoribus conceditur. Re quidem vera, iam inde ab anno 1536 modo allata prohibitiva verba Constitutionum Albacinae ex legali textu adimuntur, atque in Constitutionibus non amplius improbatum conspicitur syndicum simpliciter habere, sed nonnullas syndicorum facultates (2). Nostra ergo Capuccinorum Religio ab anno 1536 admittit syndicum a Nicolao III concessum (3), quem toto hoc primo saeculo absque ulla immutatione retinet. In hac re duo tantum veniunt consideranda, scilicet, quisnam syndicum nominet, et quaenam sint eiusdem syndici facultates.

A) *Nominatio syndici.*

87. — Nicolaus III reservasse videtur syndici deputationem Sedi Apostolicae vel Ordinis Protectori; alii solum ex delegatione speciali ab his accepta poterant illum nominare (4). Nihilominus praxis ab initio in Ordine nostro recepta alia fuit. Syndicum nominant Ministri Generales, Provinciales, Custodes aliquique ab his deputati, non autem Guardiani etiam cum tota

A. CASARUBIOS, *Compendium privilegiorum*, v. «procurator», p. 336; GIOVANNI DA FANO, *Dialogo de la salute* p. 106 sq.

(1) Cf. P. CUTHBERT, *I Cappuccini*, p. 49.

(2) Cf. *Const. 1536*, n. 57, quibus ceterae omnino conformantur: *Const. 1552*, n. 57; *Const. 1575*, p. 58; *Const. 1608*, p. 25.

(3) Cf. GIOVANNI DA FANO, *Dialogo de la salute*, p. 108 sq.

(4) Cf. c. 3. V, 12 in VI. c. 1118.

sua communitate (1); iidem pariter nominatum syndicum depo-
nere ab officio possunt (2).

Hic tamen modus syndicum nominandi fuerat a Martino IV constitutus in bulla *Exsultantes in Domino* (18 ian. 1283) (3) et ab aliis Pontificibus postea confirmatus (4); sed cum Capuccini syndicum Martini IV non receperissent, cur syndicum nominant modo martiniano?

Silent hic Ordinis documenta; forsitan talis nominandi modus fuit usu receptus, quia Regulæ observantiae non aestimabatur contrarius; ipsimet Ordini non est omnino perspicua istius usus origo. Exeunte quidem saeculo decimo sexto et ineunte decimo septimo, nonnulla fuerunt dubia exorta circa syndicum; ipse Ordo noster, ut refert chronographus Claudio Bituricensis, nonnullis agitabatur stimulis circa modum in nominatione syndici servatum, quia Nicolaus III, cuius syndicum nos admittimus « non videtur dare potestatem nominandi syndicum Superioribus sine dependentia Protectoris » (5). Hic Ordinis stimulus fuit ipsi Pontifici delatus, et Paulus V (1605-1621) ad illum tollendum declaravit P. Clementi a Noto, procuratori Generali, et concessit viva voce, quod Superiores possent nominare syndicum quando opus erit pro vendenda re superflua, « confirmando id quod ab initio fuit pratticatum (sic) in nostra Congregatione » (6).

Fratres Capuccini ergo syndicum apostolicum primo saeculo nominant iuxta modum a Martino IV praefinitum, licet quoad alia syndico martiniano minime utantur (7).

(1) Cf. GIOVANNI DA FANO, *Dialogo de la salute*, p. 107; SANTI TESAURO, *Espositio*, cap. IV, p. 198; HIERONYMUS A POLITIO, *Expositio cum dubiis*, cap. IV, n. 47, p. 373 sq.

(2) Cf. HIERONYMUS A SORBO, *Compendium privilegiorum*, v. syndicus, p. 375. - Notanter omnes repetunt, quod tales praelati syndicum nominant, non vero eum instituunt, quia eorum institutio Sedi Apostolicae reservatur. Cf. A. CASARUBIOS, *op. cit.*, v. procurator, p. 334.

(3) Cf. B C, t. VI, p. 67.

(4) Cf. Const. *Ex Clementi Pauli IV* (1 jul. 1555), B C, t. VI, p. 247.

(5) *Op. cit.*, p. 181.

(6) Cf. *Op. cit.*, p. 181, ad ann. 1614.

(7) Cf. SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. IV, p. 198: « Però quelli, che vogliono stare nell'osservanza, nel caso d'instituire il syndico si servono della facoltà di Martino IV, ma secondo la dichiaratione di Nicolo III, non habendo riguardo alcuno a gl'altri casi ».

B) *Syndici facultates*

88. — Facultates syndici Nicolai III propriae ab ipso Pontifice in decretali *Exiit* his verbis praefiniuntur: « Si vero res huiusmodi (i. e. libros et alia mobilia, quibus tam Ordo, quam fratres utuntur) aestimato pretio vendi contingat; quum fratribus ipsis per se vel per alium recipere pecuniam Regula prohibente non liceat: ordinamus et volumus quod talis pecunia seu pretium recipiatur et expendatur in rem licitam, cuius usum fratribus licet habere, per procuratorem a praefata Sede vel a Cardinali gubernationem per ipsam Sedem gerenti eiusdem Ordinis deputatum, iuxta modum in superioribus necessitatibus praeteritis et ingruentibus ordinatum » (1).

Ideo syndicus Nicolai III habet dumtaxat facultatem « vendendi » res mobiles ad dominium Papae pertinentes, quae Ordinis usui sunt, et temporis successu inutiles fiunt, pariterque eas « commutandi » pretii aestimatione et acceptum pretium in alias res fratribus necessarias impendendi. Atque hae duae sunt facultates quae syndico in Reformatione nostra attribuuntur, ut satis clare doctores nostri et legislatio capitularis significant. P. Ioannes a Fano in ipso Reformationis exordio (ante 1539) (2) et inter alios P. Sanctes Tesauro, iam saeculo decimo septimo incepto, unice facultates modo dictas syndico Capuccinorum competere asserunt (3). Insuper capitula generalia eandem doctrinam non semel expresse tradiderunt. Capitulum generale Romae an. 1618 habitum haec duxit opportuum fratribus in memoriam revocare: « e ricordiamo a tutti li frati che lo syndico, che secondo la dichiaratione di Nicolo Terzo, a noi è lecito, non serve ad altro che per vendere alcuna cosa che non sia più necessaria, e commutare il suo prezzo in altre necessità de conventi » (4). Capitulum generale pariter Romae an. 1637 celebratum ad dubium ipsi propositum super syndici nostri facultates idipsum clariore fortasse modo significavit: « Utrum, valeat aliquando Provincia lis vendere per syndicum lanam pro fratribus usu quaesitam,

(1) Cf. c. 3, V, 12 in VI., c. 1118.

(2) Cf. *Dialogo de la salute*, p. 107.

(3) *Op. cit.*, cap. VI, p. 206; GIOVANMI M. DA TUSA, *Dichiaratione*, f. 52v.

(4) Cf. A O, t. V, p. 304; *Cap. Gen. XXIX* (1625), A O, t. IV, p. 75; *id. XXX* (1633); A O, t. IV, p. 141.

ob aliquam necessitatem eius loci, in quo fuit quaesita? — R. Lana ad usum fratrum quaesita non potest per syndicum vendi, nec eius pretium in alias necessitates ab eo expendi; si enim hoc liceret, procul dubio possimus et syndicum nominare ad effectum vendendi panem, vinum, legumina, et caetera quaecumque his similia ad nostrum usum emendicata: quod quidem alienum est a veritate, cum syndicus nobis permissus habeat facultatem dumtaxat vendendi eas res mobiles, quae nostro iam usui fuerint et amplius utiles non exstant » (1).

89. — Ut melius ergo Fratrum Capuccinorum appareat in hac re singularis iuridica conditio, utile visum est saltem breviter facultates omnes memorare, quas alii Pontifices syndicis tribuerant simulque indicare qualiter Reformatio nostra obstitit, ne apud nos illae reciperentur.

Syndici auctoritas seu munus iuxta concessiones Martini IV et Martini V, ut tradunt communiter doctores (2), praesertim ad quinque actus extenditur, quorum quattuor primi conceduntur a Martino IV in bulla *Exsultantes in Domino* (18 ian. 1283) (3), quintus vero a Martino V (4). Syndico ergo competit:

1) Iuridice seu civiliter recipere nomine Ecclesiae Romanae res omnes immobiles et mobiles, quae pecuniariae non sint, congruo modo fratribus inter vivos donatas, vel in ultimis voluntatibus relictas.

Expositores Regulae, etiam scrupulosi, ait Ant. de Corduba (5), edocebant omnes Fratres Minores posse syndico ad hunc primum actum uti licite et secundum puram Regulae observan-

(1) Cf. A O, t. VI, p. 205. *Decisiones similes in Capitolis sequentibus inveniuntur*, v. gr. *Cap. Gen. XXXIII* (1650), A O, t. VI, p. 338; *id. XLIV* (1712), A O, t. VII, p. 17.

(2) Cf. E. RODERICUS, *Quaestiones regulares*, t. III, q. 39, art. 3-4; ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. IV, q. XVII, p. 239.

(3) Cf. B C, t. VI, p. 62.

(4) Cf. *Const. Martiniana*, cap. IV, B C, t. VI, p. 132. Non desunt doctores, qui duos priores actus recensendos tribuunt etiam syndico Nicolai III, v. gr. P. Marchant, *Expositio litteralis*, cap. IV, p. 231, et ex modernis ALBERTUS A BULSANO, *Expositio Regulae*, n. 250, p. 341; quod tamen alii minime asserunt. Cf. ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. XVII, p. 239; HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.*, v. syndicus, p. 375; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. IV, p. 199.

(5) Cf. *op. cit.*, p. 242.

tiam; Capuccini quidem non asserunt contrarium (1), tamen recusant hoc syndici munus admittere pro Reformatione nostra, quia: a) illud non continetur in decretali *Exitit*; b) quia tale syndici munus est in praxi prorsus innecessarium (2). Quae modo attulimus Capitulorum generalium verba, quaeque taxative syndici Capuccinorum facultates recensent, sunt ita perspicua, ut merito possimus admittere eos ad hunc primum actum syndicum non recipere.

2) Syndicus potest vendere et sub aestimatione pretii commutare res omnes mobiles et immobiles, quibus licite utuntur fratres, ad dominium Ecclesiae Romanae pertinentes, atque eorum pretium recipere et in alias fratrum necessitates expendere. Fratrum Capuccinorum syndicus quoad mobilia bona, minime vero quoad immobilia, hac facultate pollebat; ad immobilia bona sive commutanda sive vendenda necessaria erat specialis Sedis Apostolicae licentia, quam Ordo noster practice impetrabat, ut non pauca documenta pontificia huius primi saeculi nobis patefaciunt (3). S. Sedes aliquando permittit, ut bona immobilia per syndicum distrahantur (4), aliquando episcopis (5), aliquando ipsis fratribus, ut negotium venditionis peragant, concedit (6).

3) Potest syndicus nomine Ecclesiae recipere et iudicialiter repetere eleemosynas omnes, etiam pecuniarias modo licito fratribus relictas, seu in testamento legatas. Fratres Minoribus posse absque ulla Regulae relaxatione ad hunc actum syndico uti non pauci affirmabant (7). Attamen Fr. Capuccinorum

(1) Cf. HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 49, p. 487; LOUIS DE PARIS, *Exposition littérale*, cap. IV, p. 307.

(2) SILVESTRO D'ASSISI, *op. cit.*, f. 105r; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. IV, p. 200.

(3) Cf. B C, t. II, p. 174, 236, 419; B C, t. III, p. 149.

(4) Cf. B C, t. II, p. 35, 38, 127, 135.

(5) Cf. B C, t. II, p. 170; B C, t. III, p. 154.

(6) Cf. B C, t. II, p. 70; B C, t. III, p. 210. Cf. Apud SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. VI, p. 383, privilegium ab Alexandro IV (1254-1261) in hac materia Franciscalibus concessum, de quo loquuntur nonnulla documenta huius saeculi. B C, t. II, p. 14.

(7) Cf. ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. IV, q. XVII, p. 243; B. VECCHI, *Disputationes*, disp. VI, dub. VIII; negabant tamen alii, ut A. CASARUBIOS, *op. cit.*, v. hereditas, p. 388.

Religio, testibus expositoribus nostris (1), nunquam hoc syndico utebatur, immo ipsae Constitutiones illud vetare videntur his verbis: « Praecipimus, ut fratres nullo modo habeant syndicum vel procuratorem, aut aliam in terris quovis nomine personam, quae pro ipsis fratribus denarios vel pecuniam teneat vel recipiat » (2).

4) Sindicus potest defendere in iudicio et extra res mobiles et immobiles fratribus concessas; eorum privilegia et exemptiones tueri, et etiam in causis, in quibus de pecunia agitur, nomine Pontificis coram iudice comparere atque fratum bono providere (3). Potiori adhuc ratione hoc syndici munus respuit Fratrum Capuccinorum Reformatio.

Has syndici Martini IV facultates, hac alia addita, ampliavit Martinus V.

5) Syndicus potest, secundum concessionem huius Pontificis, omnes eleemosynas pecuniarias quomodocumque provenientes, sive liberaliter oblatas, sive pro missis et officiis divinis, sive in ultimis voluntatibus legatas recipere nomine Sedis Apostolicae, easque pro necessitatibus fratum expendere (4).

Clarissimum est Fratres Minores uti syndico non posse hac facultate praedito absque Regulae et declarationum Nicolai III et Clementis V relaxativa dispensatione, ait Hieronymus a Sorbo (5). Capitula generalia ad hunc actum adhibere syndicu[m] saepius improbarunt (6).

Ex omnibus dictis elucet Ordinem Fr. Capuccinorum assumptisse hac in re singularem positionem iuridicam, quia syndicu[m] recepit illis tantum facultatibus praeditum, quae necessariae erant, ne ipsi fratres probabili violationis paupertatis periculo se committerent.

(1) Cf. HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. IV, n. 51, p. 380; B. VECCHI, *op. cit.*, disp. IV, dub. VIII.

(2) Cf. *Const. 1536*, n. 57, et in posterioribus recognitionibus: *Const. 1552*, n. 57; *Const. 1575*, p. 58; *Const. 1608*, p. 25.

(3) Cf. ALBERTUS A BULSANO, *op. cit.*, n. 250, p. 341.

(4) Cf. *Const. Martiniana*, cap. IV, B C, t. VI, p. 132.

(5) *Op. cit.*, v. syndicus, p. 376. « Et hic, ait ipse, omnes alii expositores consentiunt. »

(6) Cf. *Cap. Gen. XXVIII* (1618), A O, t. V, p. 304; *id. XXIX* (1625), A O, t. VI, p. 75; *id. XXX* (1633), A O, t. VI, p. 136.

90. — Tandem significanda est alia singularitas syndici Capuccinorum: Institutum syndici non fuit apud nos toto hoc primo saeculo institutum aliquod permanens, sed transitorium; syndicus designatur toties quoties necessarius est ad res non amplius conventibus necessarias vendendas vel commutandas et statim in munere cessabat. Syndici institutum iam ab anno 1536 erat transitorium (1). Exeunte vero saeculo decimo sexto, Capitulo generali Romae an. 1581 celebrato, sequens dubium propositum est: « utrum pro puriore Regulae observantia praecipi debuisset, ut omnes loci nostri syndicum haberent ordinarium. Post longam Patrum capitularium discussionem dubium fuit negative solutum; quia syndicum ordinarium erat *innecessarium* » (2). Haec autem capitularis decisio saepe in subsequentibus capitulis generalibus repetitur. Sufficiat capitulum an. 1613 memorare; « In provinciis tollantur procuratores ordinarii, ubi sunt » (3). Ordo ergo noster restitit strenue syndici ordinarii receptioni, quia practice erat occasio magnorum abusuum; is enim faciliter eleemosynas omnes indiscriminatim pro fratribus accipiebat et ita praetextus evaserat per abusum ad susceptionem practicam syndici martiniani (4).

(1) Cf. SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. IV, p. 201.

(2) Cf. SANTI TESAURO, *ibid.*; LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, cap. IV, p. 308. Ambo tamen hi autores decisionem capitule an. 1580 celebrato adscribunt, quod capitulum non an. 1580, sed an. 1581 habitum fuit. De hac capitulari resolutione silet omnino « Collectio authentica », non tamen tantum ex hoc eius inexistentia inferri debet, nam Pater Sanotes tempore illo testis ocularis erat, siquidem anno 1599 Romae Definitor Generalis eligitur. Cf. *O D.*, p. 34.

(3) Cf. *Cap. Gen. XXVII* (1613), A O, t. V, p. 283; *id. XXVIII*, (1618), A O t. V, p. 364.

(4) Cf. SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. IV, p. 202; LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, p. 308.

SECTIO III

DE LEGALIBUS VIVENDI MODIS

91. — Ex his, quae hucusque dicta sunt de natura et extensione seraphicae Fr. Capuccinorum paupertatis, patet quomodo nostra Religio nihil temporale possideat, nec possidere possit. Nunc vero investigandum est quomodo consulit ipsa iuridice multiplicibus vitae collectivae et individualis necessitatibus.

Generice, stricte tamen iuridice loquendo, dici potest: unicus legalis vivendi modus pro Religione nostra sunt receptae eleemosynae, nam quidquid sine iure petitur et accipitur eleemosyna est, et non aliter res temporales petit et recipit Religio nostra. Eleemosynae vero possunt fratribus diverso modo obvenire, i. e. sive spontanea oblatione, sive mendicatione, sive praevio labore, sive sic dicto recursu ad amicos spirituales. Triplex vivendi modus, ait Nicolaus III, in Regula Seraphica providetur expresse: « Sic enim se ipsos (Fratres Minores) committant divinae providentiae in vivendo, ut viam non contemnant provisionis humanae: quin vel de iis, quae offeruntur liberaliter, vel de iis, quae mendicantur humiliter, vel de iis, quae conqueruntur per laborium, sustententur » (1).

Tripli huic vivendi modo addunt merito doctores (2) recursum ad amicos spirituales.

Unde legalis vivendi modus pro Religione nostra quadruplices est: 1^o oblationes spontaneae, 2^o mendicatio, 3^o labor, 4^o recursus ad amicos spirituales. Hi quattuor vivendi modi legales in se sunt omnino diversi; sed ad nos quod attinet, i. e.

(1) Cf. c. 3, V, 12 in VI. c. 1113.

(2) Cf. B. BRENDULINO, *Expositione de la Regula*, f. 91v; SILVESTRO D'ASSISI, *Dichiaratione*, f. 172v; P. MARCHANT, *Expositio litteralis*, p. 242; PIATUS MONTESSIS, *Praelectiones iuris regularis*, t. III, p. 72.

sub aspectu iuridico, ad unum rediguntur, nam omnes, quatenus sunt vitae rationes, mere eleemosynae sunt. Ad lucidiorem tamen doctrinae dispositionem et expositionem triplex conservatur divisio. In primis agitur per modum unius sub titulo de mendicatione, de eleemosynis oblatis sponte et mendicatis ostiatim; deinde sermo fit de labore; denique de recursu ad amicos spirituales est aliquid dicendum.

CAPUT I

DE MENDICATIONE

92. — Mendicatio a mendicitate distinguitur, sicuti actus ab habitu. Haec enim in ipso statu paupertatis consistit, qui aliena beneficentia seu eleemosynis indiget; mendicatio vero est alienae beneficentiae imploratio (1).

Fratres Capuccini, Seraphicae Regulae professores, sunt in statu mendicitatis, seu ex ipsa Regula sunt mendicantes (2), ideoque sicuti omnes mendicantes, gaudent et ipsi privilegio seu iure quaestuandi.

Art. 1. — DE MENDICANDI PRIVILEGIO

Huius privilegii existentia in Ordine nostro est ita indubia, ut nulla indigeat iuris probatione; id explicite enuntiatur iam primis documentis pontificiis Ordini directis, ut bulla Clemencis VII *Religionis zelus*, qua Reformatio canonice agnosceatur et instituitur; in ipsa enim Fratribus Capuccinis apertis verbis conceditur: «ut in quibuscumque locis mendicare» possint (3).

Non intendimus hic de privilegio isto agere in tota sua historica evolutione et ordinatione iuridica hoc saeculo durante (4).

(1) Cf. ALBERTUS A BULSANO, *Expositio regulae*, n. 343, p. 455.

(2) Cf. *Regula Seraph.*, ed. cit., p. 68-69; *Mon. ad Const.*, p. 294; praesertim vero c. 3, V, 12 in VI. et c. 1, 11, V, in Clem.

(3) Eadem reperiuntur verba in brevi *Exponi Nobis* et in Litteris a S. Poenitentiaria datis die 18 maii 1526 et Lodovico et Raphaeli Forosemproniensibus directis. BC, t. I, p. 1, 3; EDUARDUS ALENCONIENSIS, *De primordiis*, p. 47.

(4) Cf. T. SCHAEFER, *De religiosis*, n. 427, p. 801 sq.; *Mon. ad Const.*, p. 293, 299; WERNZ-VIDAL, *De religiosis*, n. 409, Romae, 1933.

Exemplum nostrae legislationis insectantes, quae non insistit in privilegio, nisi ad hoc ut limites eius exercitio apponat, et nos hoc tantum intendimus, nempe: ostendere quosnam limites Reformatio nostra huic privilegio adposuit, ita ut altissima et voto promissa paupertas etiam in ipsa mendicatione resplenderet.

Art. 2. — MENDICATIONIS LIMITATIO

Praeter limites iam designatos, cum de natura et extensione paupertatis egimus, alios mendicationi legislatio Capuccina prae-finit limites, qui ad emendicandarum rerum qualitatem et quantitatem referuntur.

A) Quoad qualitatem rerum.

Albacinae Constitutionibus (1529) (1) et constanti modo in legislatione subsequenti, res nonnullae ob earum qualitatem a mendicatione Fr. Capuccinorum excluduntur. Melius erit hic ipsamet Constitutionum verba referre: «Praeterea, ut Capuccinorum mendicatio nec abundans sit, nec lauta, et mendicantium nomini ipsa opera conformentur, ordinatur, ut non quaerantur, nequidem feriis quinquagesimae (nel carnevale) cibi pretiosi, pauperi nostro statui minus convenientes». Quaenam vero res sub «cibi pretiosi» denominatione intelligerentur, ipsaemet, Constitutiones indicant *exemplariter* tantum, *non taxative*; nominativi in illis tanquam cibi pretiosi a mendicatione excluduntur (2) *carnes, ova, caseus* et ab anno 1536 etiam *pisces*.

Haec autem, ut Capitula generalia postea decreverunt, nec fratres poterant per se ipsos emendicare, nec permittere, ut alii pro fratribus ea quaererent (3). Tamen si fratri quaestanti sponte talia fideles offerant, recipi possunt, dummodo in omni-

(1) Cf. *Const. 1529*, n. 16.

(2) Cf. *Const. 1536*, n. 83: «Et accio la mendicità de Frati non sia richa et delicate, in nome et non in facti, si ordina che non si cerchi (etiam nel carnevale) carne, ova, caso, ne pesci, ne altri cibi preciosi, non convenienti al povero stato nostro, excepto per li infermi; ma dati senza domandarsi potrano receiversi, pur che non si offendì la povertà». Etiam *Const 1552*, n. 83; *Const. 1575*, p. 67-68; *Const. 1608*, p. 33-34. Ioannes a Fano (cf. *Dialogo de la salute*, p. 114, 128) de hoc disserens, alios cibos tanquam pretiosos recenset.

(3) *Cap. Gen. VIII (1552)*, A O, t. V, p. 75.

bus servetur et explendescat seraphica paupertas (1). Si vero ad conventus nostros huiusmodi cibos pretiosos mitti contigerit, poterunt iuxta necessitatem recipi; tamen attendant sedulo fratres, ut quidquid recipitur sive in quantitate sive in qualitate sit promissae paupertati conforme (2).

Pro infirmis vero, quibus omnis charitas possibilis debet, non tantum recipi verum et quaestuari praedictos cibos licet; eloquens enim nobis praebuit exemplum Seraphicus Patriarcha, qui non verecundabatur per publica civitatum loca pro fratre infirmo carnes emendicare (3).

Sunt etiam aliae res quae a mendicatione Capuccinorum penitus arcentur et quidem ob grave Regulae paeceptum, scilicet, denarii, seu pecunia. De qua tamen infra erit agendum; in praesenti enuntiare sufficiat quod omnis pecuniae emendatio, sive pro se, sive pro aliis est Minoribus Capuccinis vetita, quia circa pecuniam nec usum facti habere queunt; si autem nonnumquam absolute pecunia indigeant, ius tali necessitati providet remedio sic dicti recursus ad amicos spirituales, de quo erit suo tempore et loco disserendum.

B) *Quoad quantitatem rerum.*

Altera exercitii mendicationis arctatio attinet ad rerum emendandarum quantitatem. Haec quaestio est prorsus eadem ac illa quae de liceitate provisionum movetur, et sub hac ratione hic a nobis proponitur.

Generalis doctrina circa rerum provisionem mendicatione procurandam ad haec capita reducitur;

1) Regulae Seraphicae professoribus rerum provisio, seu congregatio pro futuro, non licet; siquidem haec provisio opponitur et promissae paupertati, iuxta quam debent ex incerto vivere, et verbis S. Francisci in Testamento: « Fratres tanquam

(1) Cf. *Const. 1536*, n. 83.

(2) Cf. *Const. 1536*, *ibid.*

(3) « Si ordina etiam che li Frati non domandino ne ricevino cibi pretiosi al nostro stato povero non convenienti. Item non si usi specie, excepto quando fusse necessario per li infermi, alli quali si deba usare ogni possibil charita, si come vole la Regola, et ogni iusta lege, a exemplo del Padre nostro seraphyco, el quale non si vergognava per li infermi cercar la carne pubblicamente ». *Const. 1536*, n. 54.

advenae et peregrini in hoc mundo habitent (1) » ; nam peregrini in locis, quae adeunt, minime pro futuro colligunt.

2) Tamen omnis rerum provisio nec est, nec esse poterat absolute et simpliciter Franciscalibus prohibita. Si enim vitae necessaria commode haberi nequeunt, nisi aliqua fiat rerum provisio, haec licite fit, dummodo ne sit tanta copia quae per longum tempus fratrum necessitatibus sufficiat. Liceitatis ratio obvia est : Regula Seraphica in easu necessitatis probabiliter imminentis nec arctat, nec potest arctare, ut abstineatur a colligendis rebus necessariis ad sustentationem vitae et ad exsecutionem officiorum Ordinis ; contrarium enim idem esset, ac vitae necessaria prohibere (2). Hoc enim Clemens V clarissime in sua decretali *Exivi* tradidit, dicens : « Et idcirco non ex timore levi relaxare se debent (fratres) ad congregations et conservationes huiusmodi faciendas, sed tunc tantum quum esset multum credibile ex iam expertis, quod non possent vitae necessaria aliter invenire. Hoc autem ministrorum et custodum simul et separatim in suis administrationibus et custodiis, cum guardiani et duorum de conventu loci discretorum sacerdotum et antiquorum in Ordine fratrum consilio et assensu duximus iudicio relinquendum, eorum super hoc specialiter conscientias onerantes » (3).

Haec Summi Pontificis verba vere ostendunt quale sit huius materiae pondus et ingens momentum in paupere Franciscanorum vita. Tres conditiones verificari debent, ut alicuius rei provisio fieri licite possit :

- a) ut provisio rerum ne fiat solum ob levem timorem insufficientiae mendicationis, sed cum insufficientia ex iam expertis multum probabilis est ;
- b) ut provisio facta minime mendicitatem tollat ;
- c) ut provisio ne fiat, nisi de iudicio superiorum, de quibus loquitur Clemens V.

Haec enim sunt praecipua doctrinae capita circa liceitatem provisionum, quae in Ordine nostro a tempore receptionis decretalis *Exivi* tanquam indubitate admittuntur (4).

(1) Cf. *Regula*, ed. cit., p. 80.

(2) *Quattuor Magistri*, in *Mon. Ord.*, t. II, f. 22r; HIERONYMUS A POLITIO, *Expositio cum dubiis*, cap. VI, n. 80, p. 526.

(3) Cf. c. 1. V. 11 in Clem. c. 1128.

(4) Cf. c. 3,14 in *Extrav. Joannis XXII*, c. 1123. S. BONAVENTURA, *Expositio*.

In legislatione vero Fr. Capuccinorum generales et iuridicae normae circa hanc provisionum materiam praefiniuntur, quas valde interest considerare, quia in illis peculiaris Ordinis ideo-
logia et praxis exprimuntur.

Principium generale in omni rerum emendatione, prae ocu-
lis praesertim a superioribus habendum, et ab omnibus fideliter
observandum, est ut « diurna rerum provisio prorsus effugia-
tur ». Iudicium vero generale circa diurnitatem provisionum,
practice sequendum, in his verbis Constitutionum continetur :
« In conventibus nostris rerum provisio etiam earum, quae ad
humanum victum sunt necessaria, eo minus si quotidiana men-
dicatione haberi possunt, ne fiat nisi per duorum vel trium die-
rum spatium, aut ad summum per unius hebdomadis tempus,
iuxta temporum exigentias et locorum distantiam (1); fixum
semper fratres in animo habeant atque operibus exhibeant al-
tissimae suae paupertatis statum (2) ».

Haec norma generalis a Constitutionibus anni 1536 tradita,
immutata usque ad annum 1608 retinetur (3), quo anno levius fit
textus mutatio : provisio rerum ad « paucos aliquos dies » tan-
tum permittitur (4).

Nec tantum generales normas Constitutiones perhibent, ve-
rum et aliqua media proponunt et statuunt, ut omnis abusus in
provisionibus melius faciliusque devitetur. Haec autem prin-
cipaliora media sunt :

1º Memores capuccini legislatores voluntatis S. Francisci,
qui « volebat, ut fratres non in magna quantitate in locis col-
locarentur, quia difficile videbatur sibi in multitudine pauper-
tatem observari » (5), numerum religiosorum statuunt, qui in
quolibet conventu habitare possunt: « Conventuum familiae
septimum vel octavum fratrum numerum non excedant, pree-

super Regulam, cap. VI, *Opera omnia*, t. VIII. p. 422; ANT. DE CORDUBA, *Expo-
sitione evangelicae Regulae*, cap. VI, q. XII; GIOVANNI DA FANO, *Dialogo de la salute*,
p. 75, 125; SANTI TESAURO, *Espositione sopra la Regola*, p. 207-208.

(1) Statutum enim erat in Constitutionibus: « Et che li luochi tutti siano
presi fuori delle città, distanti per un miglio, o poco manco ». *Const. 1529*, n. 44.

(2) Cf. *Const. 1536*, n. 81.

(3) Cf. *Const. 1552*, n. 81; *Const. 1575*, p. 68.

(4) « se non per alchuni pochi giorni ». *Ed. cit.*, p. 33.

(5) Cf. BARTHOLOMAEUS DE PISA, *De conformitate vitae beati Francisci ad vitam
Domini Iesu*, in *Analecta Franciscana*, t. V, p. 105.

terquam in magnis civitatibus, ubi decem, vel duodecim circiter fratres commode poterunt habitare (1) ». Ita Constitutiones Albacinæ; in posterioribus recognitionibus eadem asservatur praeceptio: « Fratres, in quolibet conventu nec minus quam sex, nec plus quam duodecim sint » (2). Sed Constitutiones anno 1608 promulgatae aliquam induxerunt mutationem, scilicet, ut « in locis nostris iam plene constructis (già fatti) saltem duodecim fratres degere debeant » (3).

Haec præscriptio, ut ipsae Constitutiones manifestant (4), contendit sanctam paupertatem in tuto collocare, ne diurnarum provisionum offenderetur abusibus.

2º) Fratres Capuccini non solum abstinent a vinariis cellis habendis, in quibus vinum pro longiore tempore reservent, quod illicitum Clemens V declaraverat (5), verum et prohibent ut in nostris locis cadi vel dolia habeantur (*bote, nè boticelli, nè barioli*) et solummodo pauperes cucurbitas aut lagenas permittunt. Ita viam humanae provisioni præcludunt (6). Crescente autem religiosorum numero, haec Constitutionum præceptio fuit aliquantulum immutata, non tamen mitigata: « ubi propter multitudinem fratrum, dictis lagenis subveniri non possit, necessariumque foret aliqua tenere doliola (barile), id fiat cum licentia R. Patris Vicarii Provincialis (7) ». Hoc enim altero excogitato medio possibles in provisionibus abusus devitantur.

3º) Relate ad fructus, qui in nostris colliguntur hortis, simili modo Constitutiones hoc tantum permittunt, ut ad breve tempus et de iudicio Vicarii Provincialis reponantur (8); immo in legislatione anno 1552 posteriori rigidior adhuc adhibetur ratio, quia non tantum vetitum declaratur fructus et olera hor-

(1) *Const. 1529*, n. 54.

(2) *Const. 1536*, n. 139; *Const. 1552*, n. 139; *Const. 1575*, p. 94.

(3) *Ed. cit.*, p. 32. Tempore Urbani VIII S. C. Concilii statuit (2 iun. 1625): « Ut deinceps domus nullibi recipiatur, nisi in singulis locis saltem duodecim fratres degere et sustentari valeant ». *B C*, t. VI, p. 392.

(4) Cf. *Const. 1529*, n. 54.

(5) c. 1, V, 11 in Clem. c. 1118.

(6) *Const. 1529*, n. 18; *Const. 1536*, n. 82; *Const. 1552*, n. 82. Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, p. 555, IX, ad annum 1558, refert eloquens factum, ostendens qualiter haec præscriptio observabatur.

(7) *Const. 1575*, ed. cit., p. 68.

(8) Cf. *Const. 1536*, n. 81.

torum nostrorum reponere, verum et serere et plantare aliquid, nisi ad hoc ut recens consumetur (1).

Expresse pro lignis legislatio nostra permittit ut, maxime hiemali tempore, reponi possint ad duos vel tres menses plus minusve, iuxta Capituli provincialis iudicium (2).

Hoc modo particularis legislatio Capuccinorum negotium provisionum iuridice componit, et inde exercitium mendicationis arctat normis austeritate et paupertatis studio praestantibus.

97. — Vitae praxis, uti testimonio chronographorum comperatum est, iuridicis normis conformabatur, immo adhuc rigore et austeritate praestabat. Refert enim Bernardinus a Colpetrazzo (3), ocularis testis vitae priscorum Patrum, quomodo fratres in coenobiis saepe rebus omnibus vitae necessariis carebant; quia res tantum pro tribus vel quattuor diebus, ad summum pro hebdomada reponebant, nivis aut pluviae per dies aliquos exitum prohibebant ipsis ad emendicandum et conventus procul erant ab oppidis et civitatibus.

Superiores sedulo invigilabant, ut nulla nec minimarum aut pauperrimarum rerum provisio fieret; in canonicis visitationibus hoc tantum inquirere aestimabatur necessarium, scilicet: an olera aliqua, legumina, nuces, aut alii fructus invenirentur repositi; si, scrupulosa peracta inquisitione, detegebantur, statim Dei amore elargiebantur pauperibus (4).

Ad nos autem, qui studium p[re]ae primis iuridicum scribimus, non spectat facta iudicare, aut normas practicas, quae ex factis inferuntur, proponere; volumus tamen huc brevem innuere observationem, quae forsitan inserviet ut tum lex, tum vitae praxis in hac quaestione iuste aestimentur. Descriptus hic rigor et

(1) Cf. *Const. 1552*, n. 81: « I frutti et cose dell'horto non si ripongano, ne si sementino, o piantino se non per mangiarsi freschi ».

(2) Cf. *Const. 1536*, n. 82; *Const. 1552*, n. 82; *Const. 1575*, p. 68; *Const. 1608*, p. 38.

(3) Cf. *op. cit.*, lib. III, p. 27. « Li Capuccini provedono (vino) per 3 o 4 dì... et quando mancasse per un pasto o per un dì, stano senza con molto gaudio, et ringraziando il Signore ». GIOVANNI DA FANO, *Dialogo de la salute*, p. 27.

(4) Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 148; MARIUS A MERCATO SARACENO, *Relationes*, p. 108; RUFINO DA SIENA, in *L'Ital. Franc.*, t. II, p. 418; Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, ann. 1553, I, 494, II.

summa vitae austertas non iniungebantur a voto, sed a virtute paupertatis; observantur, non tanquam quid moraliter obligatorium, sed potius tanquam aliquid ad seraphicam perfectionem pertinens, ut innuit Ioannes a Fano (1). Ipsae Constitutiones nostrae, leges poenales, sicut in prima parte diximus, non praecipiunt solummodo ea, quae ad vitam iuridicam attinent, sed saepenumero viam, quae ad altissimam perfectionem seraphicam ducit, ostendunt. Immo hoc tempore aderat in nonnullis, si fidem hic Boverius mereatur (2), ad rigorismum speculativum propensio.

Exeunte saeculo decimo sexto et ineunte decimo septimo aliqua inducitur praxis mitigatio. Expositores nostri verba illa vere illuminata Seraphici Doctoris opportune referunt: « Licet enim priorum fratrum puritas pro maioris perfectionis ardore pauciora quam nunc consueverit ad victum colligere necessaria, et populus ex hoc talem opinionem conceperit, quod nil nobis licet conservare in erastinum; tamen nec tunc, nec nunc aliquo nobis prohibitum est statuto, quin possimus ad victum aliqua necessaria in futurum pro aliquo tempore providere, maxime de his, quae in promptu cum indigeremus, non possumus adquirere mendicando » (3). Ipse B. Vecchi (1628), cui provisio rerum minutarum pro pluribus mensibus non videtur paupertati nostrae repugnare, suam sententiam, praeterquam auctoritate doctorum, confirmat Ordinis consuetudine (4).

Mendicatio sensu stricto, imploratio nempe alienae beneficentiae ostiatim facta, est absque dubio praecipuus vivendi modus, quo Fratres Capuccini hoc saeculo suis necessitatibus providebant: « quidquid Capuccinis erat necessarium, quaestuatione sibi procurabant; ostiatim panem, vinum, acetum, legumina cogebant,

(1) In negotio provisionum « molto si deve attender alla perfetione della Regola, alla santa povertà, et all'intentione di san Francesco. E dove non è l'estrema necessità nulla congregazione di cose dovrà esser permessa ». *Dialogo de la salute*, p. 127. Ipse tamen Ioannes, ut doctor scribens, oleum pro duobus vel tribus hebdomadibus, ubi non abundat, reponi posse iudicat; legumina pro mense vel quadragesima, non autem pro toto anno, etc. Cf. *ibid.*, p. 128 sq.; VIATORE DA COCCAGLIO, *Tracce di tradizione sopra la Regola*, cap. VI, p. 213, Venetia, 1780.

(2) Cf. *Annales*, t. I, ann. 1553, p. 494, II.

(3) S. BONAVENTURA, *Determinationes quaestionum*, quaest. VII, *Opera omnia*, t. VIII, p. 342; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 79, p. 525; B. VECCHI, *Disputationes*, disp. V, dub. II; LOUIS DE PARIS, *Exposition littérale*, p. 432.

(4) Cf. *Op. cit.*, disp. V, dub. II.

et non aliud (1) ». Quia pauca, ob exposita motiva, recipiebant, frequenter emendicare cogebantur, non sine aliquorum vituperio, qui, ut refert Ioannes de Terranova, Capuccinorum damnabant quotidianam mendicationem, affirmantes ad quietem spiritualem magis conducere pro toto anno, vel maiori eius parte res colligere necessarias. His obiurgationibus Capuccini respondebant : « se nolle spiritualem quietem observare puritati Regulae et intentioni S. Fundatoris contraria » (2).

Hucusque egimus de Fratrum Capuccinorum iure seu quaestuandi privilegio, simulque de limitationibus, quas promissa paupertas et legislatio huius iuris exercitio apponunt; superest nobis summatim pertingere hanc alteram quaestionem, scilicet, utrum mendicatio non modo sit ius seu privilegium Capuccinorum, verum et obligatio.

Art. 3. — MENDICANDI OBLIGATIO

98. — Quisquis statum mendicitatis profitetur certe et absolute constringitur ad vivendum *de non suo*, hoc est, de sibi proveniente citra omnem obligationem, aut civilem titulum sibi acquisitum. Nihilominus dubitatur an vi status mendicitatis Fratres Capuccini etiam ad mendicationem compellantur, i. e. ad eleemosynas necessarias ostiatim procurandas, ita ut eis non sufficiat de eleemosynis incertis et sponte oblatis vivere (3).

Secundum doctrinam communiter receptam status mendicitatis professores iuxta Regulæ Seraphicae praecepta non obligantur absolute ad mendicationem : primo, quia mendicatio per accidens consequitur ad paupertatis seu mendicitatis statum, in eo scilicet casu, quo desint dona sponte oblata ; secundo, quia mendicationem esse Franciscalibus absolute praeceptam neque ex Regula, neque ex sacris canonibus, neque ex Constitutionibus pontificiis potest probari ; Regula absolute eis imponit, ut de eleemosynis vivant, sive humiliter ostiatim quaesitis, sive

(1) RUFINO DA SIENA, *op. cit.*, in *L'Italia Franc.*, t. II, p. 418.

(2) IOANNES A TERRANOVA, *De origine Ord. Fr. Min. Capuccinorum*, in AO, 1907, t. XXIII, p. 215 ; RUFINO DA SIENA, *op. cit.*, in *L'Italia Franc.*, 1930, t. IV, p. 431.

(3) Cf. GAETANO DA BERGAMO, C. F. M. CAP., *Istruzioni sopra la povertà*, istruz. VI, art. III, n. 7, Padova, 1750.

absque ullo iure civili receptis (1). Hoc unice praeceptum est et simpliciter eis obligatorium; cum nec ius, nec actionem ullam in res temporales habeant, neque redditus, et provisiones largae in futurum sint ipsis interdictae, non remanet eis alias modus licitus suis necessitatibus consulendi, quam acceptare oblatas eleemosynas, vel non oblatas ostiatim petere (2).

Si vero nonnulla verba et facta a chronographis nostris relata tantum considerantur, videretur Fratres Capuccinos initio sententiae illi favere secundum quam mendicatio Fratribus Minoribus absolute praecipitur (3). Tamen ob documentorum inopiam id asserere non audemus. B. Vecchi docet hanc fuisse sententiam nonnullorum expositorum Ordinis nostri, inter quos certe Sanctes Tesauro, at probabiliter Hieromymus a Politio, ait ipse, sunt recensendi (4). Sed si verba horum expositorum (5) attente perpendantur, satis appareat eos tradere mendicitatem, non mendicationem, Fratribus Capuccinis absolute esse praeceptam, scilicet sententiam traditionalem.

Haec dicenda erant relate ad ius, circa eiusdem exercitium et obligationem quaestuandi.

(1) Cf. CYRILLUS A BERGOMO, *De morientium eleemosynis*, p. 69. n. 18; VIA TORE DA COCCAGLIO, *op. cit.*, p. 203 et 215; J. AZORIUS, *op. cit.*, lib. XII, cap. XXIII, c. 1582.

(2) Cf. ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. XIII, p. 347.

(3) Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. I, p. 187 sq.; MARIUS A MERCATO SARACENO, *Relationes*, p. 73, 358.

(4) *Op. cit.*, disp. VI, dub. V.

(5) Cf. SANTI TESAURO, *op. cit.*, p. 317; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 46, p. 484.

CAPUT II

DE LABORE

99. — S. Franciscus in capite V Regulae Seraphicae haec statuit circa modum laborandi, scilicet: « Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote ita quod, excluso otio animae inimico, sanctae orationis et devotionis spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deservire. De mercede vero laboris pro se et suis fratribus corporis necessaria recipient praeter denarios vel pecuniam, et hoc humiliter, sicut decet servos Dei et paupertatis sanctissimae sectatores » (1). Haec verba Seraphici Legislatoris et alia his similia in Testamento eiusdem (2) nonnullis controversiis in Ordine Minoritico ansam praebuerunt, v. gr. an in allatis verbis Regulae praeceptum fratres omnes ad laborem manualem obligans contineatur necne (3). Quamvis huiusmodi controversiae sub aspectu historico et morali consideratae magni momenti sint, etiam in Fratrum Capuccinorum Reformatione (4), qui laborem

(1) Cf. *Regula*, ed. cit. p. 68.

(2) Cf. *ibid.*, p. 79.

(3) Partem affirmativam (obligationem laborandi) propugnaverant Quatuor Magistri, *op. cit.*, cap. V, in *Mon. Ord.*, t. II, f. 22r; negativam vero S. Bonaventura (cf. *De tribus quaestionibus*, *Opera omnia*, t. VIII, p. 334). Pontificiae declarationes Regulae S. Bonaventurae sententiam roborant, quae inter expositores postea communis evasit. Cf. ANT. DE CORDUBA, *Expositio evangelicae Regulae*, p. 258; ALBERTUS A BULSANO, *Expositio Regulae*, n. 254, p. 347.

(4) Nobis enim constat ex testimonio chronographorum, quomodo Ludovicus Forosempioniensis, qui usque ad Capitulum generale an. 1535 fuit Reformationis arbitrus, sustinuit in praedicto Capitulo fratres omnes manuali labore incumbere debere, cui opinioni adhaeserant alii fratres magni nominis et auctoritatis, ut P. Franciscus Titelmans. Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. I, p. 393; lib. II, p. 174 sq.; lib. III, p. 194 sq.; MATTHIAS SALODIENSIS, *Historia Capuccina*, t. II, p. 11; Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, an. 1536, 210, VIII-IX. Praevaluit vero con-

tantummodo aestimat quatenus est legalis vivendi modus, tenetur eas silentio praeterire, quia nos non labore vivimus, sed mercede pro laboritio recepta; iam vero independenter omnino a quaestionibus an labor manualis sit nobis vi Regulae praecepsus, vel non, an sit S. Fundatoris intentioni magis conforme ostiatim emendicare, aut labore necessaria conquirere, merces laboris uno tantum modo potest absque dubio a nobis recipi, scilicet ratione eleemosynae, sine ullo ex parte nostra iuris civilis titulo. Ex hoc autem consequitur laborem, prout est vitae ratio, a mendicatione iuridice non distingui, nam mendicatio est verbis stipe quærere, labor vero operibus emendicare.

Cum tamen plures Ordinationes iuridicae sub hac laboris rubrica sint in legislatione nostra dispositae, et sub illa tantum logice collocari possint, necessarium visum est de mercede laboris seiunctim in duobus articulis tractare: primo, de mercede pro laboribus corporalibus; secundo, de mercede pro laboribus spiritualibus recipienda.

**Art. 1. — DE MERCEDE
PRO LABORIBUS CORPORALIBUS RECIPIENDA**

A) Quid potest recipi?

100. — Tanquam merces pro laboribus corporalibus a fratribus praestitis recipient ipsi, ait S. Legislator, « corporis necessaria, praeter denarios vel pecuniam »

Verba ista « corporis necessaria » non minus restrictiva sunt, quam concessiva; si ex una parte permittunt ut fratres ea, quibus secundum professionem eorum status indigent et licite utuntur, recipient, ex alia tamen in memoriam revocant ea tantum, quorum usus Ordini probatur concessus, eos excipere posse, minime vero, quamvis offerantur, res prorsus inutiles, aut pretiosae qualitate, aut superfluas, seu in nimia quantitate (1) Expressis verbis Legislator denariorum et pecuniae receptionem.

traria opinio Bernardini Astensis, Francisci Aesini, Ioannis a Fano et aliorum, atque Constitutiones in eodem Capitulo exaratae formulam in hac materia pro nostro Ordine definitivam invenerunt, omnino doctrinae S. Bonaventurae conformem. Cf. *Const. 1536*, n. 65.

(1) Cf. P. MARCHANT, *Expositio litteralis*, p. 333; LOUIS DE PARIS, *Exposition littérale*, p. 340.

excludit, non tamen novum in hoc imponit praeceptum, ut docent exposidores communiter (1); sed memorat illud in capite IV Regulae iam constitutum. Denaria et pecunia tum solum possunt pro mercede laboris suscipi, cum modi et conditiones adimplentur praesignati ad licite recursum ad pecuniam perficiendum (2).

Mercedem laboris Fratres « pro se et suis fratribus » recipiant, decernit Seraphicus Legislator. Quae verba, ut exponit optime Viator a Coccaleo, non disiunctive, sed coniunctive sunt intelligenda, i. e. pro tota communitate, corporis necessaria recipient; ratio procedendi contraria vitam communem auferret, religiosam scinderet unionem, abigeret paupertatem, introduceret privatam proprietatem et quasi in corde suo seraphicam transfigeret Regulam (3).

Aliis quaestionibus praetermissis, hic ab expositoribus agitatis, quas apud eosdem faciliter invenies (4), quomodo laboris merces recipienda sit videamus.

B) *Quomodo merces recipi potest.*

101. — Ipsa Regula modum definit, quo licitum est fratribus, labori vacantibus, laboritii mercedem recipere, nempe: corporis necessaria recipient « humiliter, sicut decent servos Dei et paupertatis sanctissimae sectatores » (5). Modus ergo mercedem recipiendi debet esse promissae voto paupertati conformis, et talis non erit, nisi tria fideliter custodiantur.

1º) Cum Fratres Minores vi voti paupertatis sint contractus sensu proprio perficiendi incapaces, non possunt locare opera sua. Simplex tantum utrinque promissio fieri potest, qua frater scilicet fideliter in tali opere laborare, et alias pariter bona fide laborem remunerare promittant (6).

2º) Quidquid pro laboritii mercede fratribus offertur, de-

(1) Cf. ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. V, q. III, p. 263; SANTI TESAURO, *Espositione*, p. 264.

(2) Cf. GREGORIO DA NAPOLI, *Regola unica*, p. 271.

(3) Cf. *Tracce di tradizione*, p. 129.

(4) Cf. ALBERTUS A BULSANO, *op. cit.*, n. 265, p. 362 sq.

(5) *Regula*, *ed. cit.*, p. 68.

(6) Cf. HIERONYMUS A POLITIO, *Expositio cum dubiis*, cap. V, n. 11, p. 408.

bet ex parte sua, ut pura eleemosyna suscipi, nullum ius in mercedem praedictam possunt sibi vindicare, nullumque titulum iuris possident ad illam exigendam, nisi propriae necessitatis factum.

3º Si, labore peracto, merces illis denegatur, nullus patet eis iuridicus recursus, ut virum infidum obstringant; unica superest eis via, qua sibi necessaria provideant a S. Fundatore indicata et praecepta: « quando non daretur nobis pretium laboris recurramus ad mensam Domini, petendo eleemosynam ostiati » (1). Ergo cum laboris pretium fratribus denegatur, debent hi ad mendicationem, non ad litigationem recurrere; nec ipsi, ut palam est, nec alii quocumque vocentur nomine, sive syndicus, procurator, etc., pro dicta mercede exigenda possunt in iudicio contendere (2); tamen merces laboris est fratribus naturaliter debita, eo quod ipsi secundum ius naturale et divinum, quibus renuntiari non possunt, licite corporis necessaria recipiunt (3).

Paucis expositam hic doctrinam verbis comprehendimus: Fratres nunquam ex pacto seu conventione civili operam suam locare possunt, nec mercedem ex pacto petere, aut pro illa litem intentare; sed humiliter eam expectare et recipere debent, si-
cut decet servos Dei et paupertatis sanctissimae sectatores (4).

Art. 2. — DE MERCEDE PRO LABORIBUS SPIRITALIBUS RECIPIENDA

102. — Sub nomine spiritualium laborum hic veniunt praesertim missae celebratio, praedicatio verbi divini et alia ministeria sacra, ut funeralia, quorum ministeriorum ex vocatione et statu sacerdotes capuccini sunt administratores. Quonam autem sensu altissima haec et sacrosancta ministeria, labores dici queant, ac recte loquatur de mercede pro eisdem recipienda, omnibus est plane perspectum, sicuti est etiam veritas satis nota et bene firmata posse pro laboribus spiritualibus recipi stipendum titulo

(1) *Testament. S. Francisco*, ed. cit., p. 79.

(2) Cf. GREGORIO DA NAPOLI, *op. cit.*, cap. V, p. 272; LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, p. 342.

(3) Cf. ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. V, q. III, p. 263.

(4) Cf. CYPRIANUS CROUSERS, *Lectiones paraeneticæ*, cap. V, p. 335.

honestae clericorum sustentationis (1). In praesens vero nostra solummodo interest, quidquid de hac materia in legislatione nostra huius saeculi inveniatur paeceptum, percontari.

A) *De missarum celebratione.*

103. — Primae Capuccinorum Constitutiones (1529), quarum articuli, ut diximus, contra abusus tunc temporis exsistentes saepe invehunt, hanc rem minutatim atque singulari ordinant firmitate: « Caveant quoque omnino superiores, ne prava cupiditate ducti, populos ad eremos ac monasteria missarum celabratione vel officiorum allicant, ut pro iis eleemosynas ab ipsis accipient. Denique id volumus ac statuimus, ut nullo modo missae pro saecularibus celebrandae recipientur (2). Quodsi quispiam a nobis missam celebrari petierit, prudenter ei responderi poterit nos pro eo in missis rogatuos, tum in missa collecta pro eo addatur, ut illius devotionis satisfiat. Quodsi interdum missam ex caritate pro aliquo celebrari contigerit, penitus pro ipsa, aut orationibus pro quocumque persolutis, pretium aut eleemosynam recipere prohibemus ». Ex verbis tamen immediate sequentibus liquet verba allata contra eleemosynarum pecuniae receptionem esse praecipue directa; addunt enim Constitutiones: « quodsi is panem, vinum, aut aliud ad victum necessarium attulerit, recipi potest eodem modo, ac recipiuntur eleemosynae factae ab illis, qui nullam orationem deprecarunt. Orationes pure et simpliciter ex caritate et Dei amore fiant » (3).

Ex modo adductis Constitutionum verbis haec apparent, scilicet :

1º) Quod Fratres Capuccini usque ad annum 1536, per modum regulae generalis, missas pro saecularibus celebrandas nullo modo recipiunt; loco celebrationis addunt in missa collectam pro pentibus.

2º) Permittitur tamen, ut per modum exceptionis possint

(1) Cf. F. CAPPELLO, *De sacramentis*, t. I, n. 662 sq., Angustae Taurinorum, 1928.

(2) Verba in textu italiano vim maiorem habent: « Il caso è questo, che vogliamo et ordiniamo, che non si ricevano messe in qualunque modo ». *Const. 1529*, n. 6.

(3) Cf. *Const. 1529*, n. 6.

interdum missam pro saecularibus celebrare, nihilominus urgetur ut celebratio ex pura et simplici caritate fiat, ita ut nec fratres sibi ipsis assumant celebrandi obligationem, nec alter ius ad missae celebrationem acquirat.

3º) Nullam rem temporalem recipiunt nec titulo stipendii, nec tanquam eleemosynam oblatam occasione missae ex caritate dictae; non tamen eis interdicitur, si aliquid ipsis ad victimum necessarium offeratur, ut accipient illud, perinde ac ceteras eleemosynas omnino liberaliter oblatas, i. e. nullo habito respectu ad missam celebratam.

Fatendum sane est quod hic modus recipiendi licitus et distinctio hue a Constitutionibus statuta possunt in celebrantibus ostendere animum magis a qualibet rerum temporalium cupiditate alienum, et delere in eleemosynae receptione omnem remunerationis speciem; tamen non impediunt quominus quidquid sic datur et suscipitur vero titulo eleemosynae et detur et accipiantur.

Constitutiones anni 1536 aliquam induxerunt in hac re innovationem, simulque formulam invenerunt definitivam, quam legislatio huius primi saeculi religiose et constanter retinet.

« Sacerdotes adhortamur, ne in celebrando mentis oculos in favorem, humanam gloriam vel quidpiam temporale dirigant; sed simplici, puro et mundo corde honorem divinum solum intendant ex mera caritate celebrantes cum humillima reverentia, fide et devotione » (1). Et alibi : « nullum celebrationis praemium in terra recipiamus ad exemplum Iesu Christi Summi Sacerdotis, qui absque ullo praemio temporali Se Ipsum pro nobis in cruce obtulit » (2). Elucet ex his quomodo non amplius sustineantur verba, quibus districte prohibebatur Capuccinis missas pro saecularibus celebrandas recipere, insistitur tamen, ut celebratio ex mera caritate fiat, et praemium temporale nullum pro missis recipiatur.

Consideratis legalibus textibus et expositorum huius primae centuriae doctrina, Ordinis nostri norma quoad obligationem suscipiendam missas celebrandi et quoad mercedis pro cele-

(1) Cf. *Const. 1536*, n. 32; *Const. 1552*, n. 32; *Const. 1575*, p. 50; *Const. 1608*, p. 18.

(2) Cf. *Const. 1536*, n. 33.

bratis receptionem ad haec reducitur, quae mox infra declarantur.

a) *Quoad celebrandi obligationem suscipiendam.*

104. — Ab anno 1536 non amplius prohibetur Fratribus Capuccinis, ut ipsi missas pro saecularibus celebrent, si celebratio absque pacto, aut conventione ulla fiat, sed ex pura caritate proximorum et Dei amore (1).

Si interdum fratres ad missae celebrationem pro saecularibus tenentur, obligatio ex gratuita eorum promissione exsurgit, quae promissio ex se non interdicitur religiosis, quia rem spiritualem promittunt et donant, sub voto paupertatis minime cadentem (2); tamen Capitula generalia praecipiunt, ne fratres subditi celebrandi obligationem assumant sine licentia superiorum, quibus competit tantum eam acceptare, et qui subditis licentiam singulis vicibus, non vero generalem, possunt tribuere (3). Praescriptio haec vi voti obedientiae erat adimplenda. Superiores autem, iuxta mentem nostrarum Constitutionum et laudabilem Religionis usum, toto hoc primo saeculo vigentem, subditos excessivo missarum obligatarum numero gravare non debebant, ut facilius possent pro defunctis fratribus, eorumque parentibus sanctum offerre sacrificium (4).

b) *Quoad receptionem mercedis pro missis celebratis.*

105. — Nihil sub titulo et ratione stipendii Fratres Capucini pro missis celebratis accipere poterant; tamen res ad victimum

(1) Cf. praeter allata Constitutionum verba, GIOVANNI DA FANO, *Dialogo de la salute*, p. 113 sq.; SILVESTRO D'ASSISI, *Dichiaratione*, f. 155r, ubi haec scribit: cum saeculares missae celebrationem nobis adprecantur dicatur illis, sicuti in Religione nostra moris est: Deum in tot missis pro vestris necessitatibus deprecaremur. Officia omnia sacra cum nobis demandantur, dicatur: *Amore Dei ea facimus*. Cf. *Cap. Gen. XXX* (1633), A O, t. VI, p. 141; *Cap. Gen. XXXI* (1637), A O, t. VI, p. 169.

(2) Cf. CYRILLUS A BERGOMO, *De morientium eleemosynis*, p. 297, n. 14; A. DIANA, *Resolutiones morales*, pars I, tract. VI, res. 9.

(3) Cf. *Cap. Gen. XXIX* (1625), A O, t. VI, p. 72; *id. XXX* (1633), A O, t. VI, p. 142; *id. XXXI* (1637), A O, t. VI, p. 169; *id. XXXII* (1643), A O, t. VI, p. 232; CYRILLUS A BERGOMO, *op. cit.*, p. 532, n. 11.

(4) Cf. *Const. 1529*, n. 6; *Cap. Gen. XXXIII*, (1650), A O, t. VI, p. 269; *id. XXXIV* (1656), A O, t. IV p. 360.

necessarias, si eis offerebantur, pie, humiliter et per modum eleemosynae liberaliter oblatae acceptare nullo iure prohibitum habebant; mens vero Constitutionum est, ut oblatae eleemosynae acceptentur eodem modo, ac si nullae fuissent missae pro benefactoribus celebratae (1).

Si autem pro missis celebratis pecunia fratribus offeratur ratione eleemosynae, accipi nequit, nisi servatis modo et conditionibus pro licto recursu ad pecuniam, de quo in capite proximo; ita enim fuit apertis verbis declaratum in Capitulo generali trigesimo (1633), veterem nostri Ordinis proxim urgente: «eleemosynae pecuniariae pro missis oblatae non deponantur a fratribus (2) in manibus tertiae personae, cum hoc sit Regulae contrarium, sed in manibus offerentis relinquuntur, ad quem fratres recurrere nequeunt nisi in casibus in quibus fas est ad amicos spirituales recurrere iuxta Nicolai III et Clementis V declarationes Regulae, scilicet pro necessitatibus veris, certis, determinatis, praesentibus, vel ingruentibus, quibus per viam quaestuationis provideri non possit». Et paulo infra: «si hae pecuniariae eleemosynae in manibus benefactoris, pro quo missae dictae sunt, remanent, ad eum non recurratur ratione missarum celebratarum, sed sicut ad alium quemlibet amicum spiritualem» (3). Iteratae saeculo decimo septimo huius tenoris Ordinationes Capitulorum generalium intendunt viam intercludere abusibus, qui in Religionem irrumpere cooperant ex pecuniae usu pro rebus non necessariis (4).

B) *Pro praedicatione verbi Dei.*

106. — Comparate ad mercedem pro praedicatione suscipien-

(1) Cf. *Cap. Gen. XXX* (1633), A O, t. VI, p. 141-142; *id. XXXI* (1637), A O, t. VI, p. 168-169; GIOVANNI DA FANO, *Dialogo de la salute*, p. 113; SILVESTRO D'ASSISI, *op. cit.*, f. 155r; SANTI TESAURO, *op. cit.*, p. 251.

(2) Textus italicus: «non si facciano da' Frati depositare in mano di terza persona». A O, t. VI, p. 141.

(3) Cf. A O, t. VI, p. 141; *id. XXXI* (1637), A O, t. VI, p. 168; *id. XXXIII* (1650), A O, t. VI, p. 268; *id. XXXIV* (1656), A O, t. VI, p. 259; GIOVANNI DA FANO, *op. cit.*, p. 113 sq.; SILVESTRO D'ASSISI, *op. cit.*, f. 155v; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. IV, p. 251; CYRILLUS A BERGOMO, p. 447, n. 17, ubi refert duo responsa P. Joannis Mariae a Noto, Ordinis nostri Generalis Ministri (1625), prescriptionibus capitularibus citatis omnino conformia.

(4) Cf. *Cap. Gen. XXX* (1633), A O, t. VI, p. 141.

dam in fontibus iuris Fr. Capuccinorum haec reperimus praescripta, scilicet :

1º Fratres in praedicationis exercitio ab omni specie avaritiae super omnia caveant, ut, libere et sincere Christum praedicantes, fructus colligant ubiores.

2º Fratres, dum praedicant, rem aliquam pro se aut communitate ne poscant, multo minus pecuniam, ut sit omnibus notum eos, iuxta apostolicam doctrinam, non quae sua sunt quaererè, sed quae Iesu Christi (1). Generale hoc absolutumque interdictum mendicandi occasione praedicationis, de quo Constitutiones anni 1536 (2), fuit in subsequentibus recognitionibus vel mitigatum, vel explicatum; ita Constitutiones an. 1552 absolute vetant pecuniam emendicare, non alia (3).

3º Instantius adhuc prohibetur fratribus praedicatoribus, quo minus praedicationis causa (4) a communitatibus, sive a particularibus aliquid recipient tanquam praemium praedicationis, seu non habens merae eleemosynae rationem; insuper ne sibi emere faciant libros, habitus, pannos et similia, quae praedicationis pretium, aut praemium viderentur; qui taliter agunt a Vicario Provinciali puniri debent disciplina in refectorio unius Miserere spatio, et non emendati, ab officio praedicationis suspendantur (5).

Hoc modo Constitutiones nostrae vetant et praecipiunt gradatim quidquid in hoc negotio praecipi, aut vetari poterat, nempe: primo, quod pertinet ad votum seu ad ius, i. e., ut nihil praedicatores recipient pro praedicatione nisi per modum simplicis eleemosynae, ultro omnino oblatae; secundo, quod ad virtutem seu ad perfectionem potius spectat, i. e., ut ab omni specie avaritiae in praedicando caveant.

(1) *Philip.* II, 21.

(2) Cf. *Const. 1536*, n. 115.

(3) Cf. *Const. 1552*, n. 115: *Const. 1075*, p. 84-85; *Const. 1608*, p. 46.

(4) « *Per conto della predicatione* » legitur in textu italiano *Const. 1575*, p. 84.

(5) « Molto maggiormente si vieta, et commanda che non si pigli premio alcuno, o vero simonia pecuniaria dalle communita, o da altri particolari per conto della predicatione, nè si faccino comprare libri, habitu, panni, ne cose tali, che mostrino premio, et pagamenti di essa predicatione, et chi farà contra il Vicario Provinciale faccia loro fare la disciplina per spacio d'un Miserere in refettorio, et non si emendando, siano sospesi dall'officio della predicatione ». Sic *Const. 1575*, p. 84-85; illa verba « simonia pecuniaria » intelligenda sunt pro « limosina pecuniaria » si-
cuti dicitur in *Const. an. 1608*, p. 46.

Similes praceptiones etiam in legislatione capitulari reperimus (1). Vehementi et instanti modo a primis saeculi XVII annis Capitula generalia contra praedicatorum abusus reluctantur quaestuandi pecuniam praesertim, ut suis parentibus, vel piis causis praestarent auxilium. Praedicatores minime hoc peragant decernitur, nisi obtinuerint prius licentiam *in scriptis* P. Provincialis illius provinciae, in qua concio habetur; Provinciales vero quaestum permittere non possunt antequam, informati nibus praehabitis, causae sive gravis necessitatis certiores fiant. Praedicatores contrafacentes ipso facto sint ab officio praedicationis suspensi, aliisque plectantur poenis, illis praesertim in proprietarios statutis (2).

O). *Pro funeribus.*

107. — Sicuti ceteri mendicantes, ita Fratres Capuccini de iure communi poterant in propriis ecclesiis tumulare corpora saecularium, qui sibi dum viverent, eas elegissent (3).

Legislatio tamen Capuccinorum propria toto hoc primo saeculo huius iuris exercitium valde restringit, ut paupertas simul cum pace et humilitate magis servetur illibata, immo ut ipsum periculum violandi paupertatem prorsus depellatur. His enim rationibus compulsi legislatores Albacinae (1529) statuerant: «in locis nostris defunctorum corpora ne recipientur nisi agatur de pauperculo derelicto, cui parochus sepulturam ob paupertatem denegat; horum enim cadavera, si ad nostra fuerint loca delata, recipientur et sacra donentur sepultura, est enim hoc pietatis et misericordiae opus (4) ». Ab anno 1552 arctatio nova horum

(1) Cf. *Cap. Gen. XXVI* (1608), A O, t. V, p. 249; CYRILLUS A BERGOMO, *op. cit.*, p. 452-462.

(2) Cf. *Cap. Gen. XXVII* (1613), A O, t. VI, p. 71-72; *id. XXX* (1633), A O, t. VI, p. 138; *id. XXXI* (1637), A O, t. VI, p. 172; *id. XXXII* (1643), A O, t. VI, 234.

(3) Cf. inter alia documenta, ALEXANDER IV, *Cum a nobis* (15 maii 1256), B C, t. VI, p. 35; PIUS V, *Ad hoo nos Deus* (23 sept. 1571), B C, t. VI, p. 274-280. S. Congr. Concilii 10 maii 1631 declarat Fr. Min. Capuccinos de iure communi posse iuxta suorum superiorum beneplacitum sepelire in eorum ecclesiis personas saeculares, quae sepulturam in eis elegerunt. B C, t. I, p. 82; alia documenta, in *Compendio privilegiorum*, v. sepultura, p. 355-360, et apud. *Mon. ad Const.*, p. 173.

(4) Cf. *Const. 1529*, n. 50; *Const. 1536*, n. 38.

pauperum receptioni in locis nostris apponitur, scilicet, « ut Ordinariorum prius licentia obtineatur (1) ».

Alios saeculares in nostris ecclesiis sepelire prohibent Constitutiones. Ineunte saeculo decimo septimo Capitula generalia insistunt semel atque iterum, ut « nullus superior audeat permettere quod saecularium cadavera humo mandentur, vel sepiantur in ecclesiis nostris, nisi petita et obtenta licentia P. Generalis; superior, qui contrafecerit, ab officio destituatur » (2).

Si sepulturae saecularium in ecclesiis nostris prohibentur, de mercede pro eis recipienda providere erat aliquid innecessarium; inde Constitutionum explicatur silentium, nihil de hac materia decernentium. Solummodo Constitutiones Albacinenses statuunt: « Nec aliquid pro sepultura (pauperis derelicti, de quo est sermo) fratres accipient, sed pro anima illius ex charitate Deum exorent » (3).

Haec verba sufficerent ad mentem Ordinis nostri in hac re nobis reserandam, nisi ex ipsis Constitutionibus fuisset iam omnino manifestum Fratres Capuccinos a sepulturis recipiendis abstinere paupertatis amore et pro meliori eiusdem defensione et custodia (4).

(1) Cf. *Const. 1552*, n. 38; *Const. 1575*, p. 51; *Const. 1608*, p. 21.

(2) Cf. *Cap. Gen. XXVIII*, (1618), A O, t. V, p. 301; *id. XXIX* (1625), A O, t. IV, p. 72; *id. XXXI* (1637), A O, t. VI, p. 174.

(3) Cf. *Const. 1529*, n. 50.

(4) Plurimi autem hae occasione in Religiones inducebantur abusus, de quibus CYRILLUS A BERGOMO, *op. cit.*, p. 125-127.

CAPUT III

DE RECURSU AD AMICOS SPIRITUALES

108. — Alterum legalem vivendi modum pro Fratribus Capucinis esse diximus recursum ad amicos spirituales. Iuridicum recursus institutum supponit prohibitionem in Regula Fratribus Minoribus factam « ne denarios vel pecuniam recipient »; nec tantum supponit, sed potius haec prohibitio est causa seu ratio recursus ad amicos spirituales. Ergo priusquam sermo sit de recursu, de hac prohibitione disserere est omnino necessarium. Poterat etiam alibi haec quaestio logice agitari; sed nos, Regulam Seraphicam sequentes, immediate ante disquisitionem de recursu illam pertractamus.

Art. 1. — DE DENARIORUM ET PECUNIAE PROHIBITIONE

109. — S. Franciscus in Regula vehementi modo decernit: « Praecipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipient per se, vel per interpositam personam » (1). In verbis istis grave continetur praeceptum, cuius vim verbum « firmiter » aggravat, cuius subiectum verba « fratribus omnibus » limitant, cuius obiectum verba « denarios vel pecuniam » determinant, et cuius impletio illis urgetur verbis absolutis « nullo modo recipient nec per se, nec per interpositam personam ».

Hoc praeceptum est omnino Fratrum Minorum proprium, quia prohibitio pecuniam vel denarios colligendi, sive recipiendi ad votum paupertatis mendicantium per se non pertinet, nam pecunia ut sic nunquam inter immobilia bona computatur (2).

(1) Cf. *Regula*, ed. cit., p. 67.

(2) Cf. F. SUAREZ, *Opera omnia*, t. XV, lib. VIII, cap. XVII, n. 4.

Plurima fuerunt volumina composita circa hanc Regulae S. Francisci prohibitionem, quia innumeris fere implicatisque quaestionibus praebuit ansam, praesertim in campo morali. Nos autem, qui Regulae expositionem non scribimus, sed tantum extruere intendimus iuridicum nostrae paupertatis aedificium, fundamentalia lineamenta tradimus, unde possint huius prohibitonis obiectum et extensio manifeste apparere.

A.) *Prohibitionis obiectum.*

110. — Obiectum huius praecepti negativi sequentibus verbis exprimitur : denarios vel pecuniam non recipiant.

Denariorum nomine, ut doctores unanimiter tradunt, intelliguntur nummi seu monetae ex auro, argento, vel ex alio metallo publica auctoritate cusae, ut pro pretio rerum venalium in contractibus dentur, vel accipientur (1). Quid vero sub nomine pecuniae intelligatur, non ita facile statuitur, nam datur magna inter expositores dissensio. Diversas sententias breviter enuntiamus, inter quas duae sunt fundamentales :

1^a Nonnulli verba « denarios et pecuniam » putant esse voces synonymae, quia S. Franciscus illa accepit in Regula vulgaris significatione, iuxta quam denarii et pecuniae accipiuntur pro eodem (2).

2^a Alii e converso realem statuunt distinctionem denarios inter et pecunias ; discrepant tamen in « pecunia » definienda :

a) Nonnulli pecuniam esse docent quidquid potest monetis aestimari ;

b) Alii pecuniam esse dicunt quidquid loco nummorum datur.

Merito quae hae sententiae contemnuntur, quia absurdum significunt consecaria : Fratribus Minoribus non liceret iuxta primam opinionem cibos, vestes, etc., accipere, quia possunt monetis aestimari ; iuxta secundam vero opinionem non possent in mercedem laboris vestes, cibos, etc., ipsis necessarios recipere, quia saepe a benefactoribus loco nummorum dantur (3).

(1) Cf. PIATUS MONTENSIS, *Praelectiones iuris regularis*, t. III, p. 59.

(2) Ita inter alios CYPRIANUS CROUSERS, *op. cit.*, cap. IV, p. 239 ; P. MARCHANT, *op. cit.*, cap. IV, p. 217 ; PIATUS MONTENSIS, *op. cit.*, III, p. 60.

(3) Cf. P. MARCHANT, *op. cit.*, cap. IV, p. 210 et. 214-216 ; PIATUS MONTENSIS, *op. cit.*, t. III, p. 60.

c) In plurimorum sententia, quae dici potest inter expositores communis (1), nomine pecuniae intelligitur omnis res, quae procuratur, mendicatur, aut sponte oblata recipitur, non ut fratres immediate et in propria specie utantur ea, sed animo et intentione illam aestimatione pretii commutandi, vendendi, sive dandi tanquam rei emptae pretium, v. gr. fratres quaerunt frumentum vel ipsis oblatum recipiunt animo vendendi illud, ut possint pecunia ex venditione recepta lanam emere ipsis necessariam; receptio frumenti in casu est receptio pecuniae Fratribus Minoribus in Regula vetita. Intentio est, aiunt expositores, quae facit, saltem quoad Fratres Minores, aliquid esse pecuniam (2).

Fratres Capuccini, qui primo saeculo Regulam Seraphicam exposuerunt, unanimi ferme modo sententiam amplectuntur, quae denarios inter et pecuniam realem constituit distinctionem, atque pecuniam definiunt iuxta sententiam illam, quam modo communem dicebamus (3). Diximus unanimi ferme modo, quia excipiens est P. Cyprianus Croulers Antverpensis, qui pro-pugnavit synonymam verborum denarii et pecuniae significacionem (4); sed eius expositio anno 1627 prohibita est donec castigaretur (5). Castigationem operis tum Sacra Congregatio,

(1) Hanc sententiam inter alios tradiderunt, QUATTUOR MAGISTRI, *op. cit.*, apud Mon. Ord. t. I, f. 21v; S. BONAVENTURA, *Constitutiones Narbonenses*, *Opera omnia*, t. VIII, p. 452; HUGO DE DINA, *op. cit.*, apud Mon. Ord. t. II, f. 55v; ANGELUS CLARENUS, *Expositio Regulae*, cap. IV, p. 103, et alii.

(2) Cf. QUATTUOR MAGISTRI, *loc. cit.*; ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. IV, q. II, p. 167; GIOVANNI DA FANO, *Dialogo de la salute*, p. 62, 101. Huic doctrinae favent illa Nicolai III verba: «(Fratres) nec utensilia, nec alia eo animo ut ea distrahanter, sive vendant, recipient», c. 3, V, 12 in VI, c. 1114.

(3) Pecunia est quidquid accipitur ut vendatur, vel aestimato pretio commutetur, et quidquid datur tanquam rei emptae pretium. Cf. GIOVANNI DA FANO, *Dialogo de la salute*, p. 101; *Discorso sopra la povertà*, A O, t., XXVII, p. 117; SILVESTRO D'ASSISI, *op. cit.*, f. 95v; GIOVANNI DA TUSA, *op. cit.*, f. 44 r; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. IV, n. 2, p. 316; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. IV, p. 182 et 188; LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, cap. IV, p. 228-229.

(4) Cfr. *Op. cit.*, cap. IV, p. 239.

(5) «Liber compositus a P. Cypriano Antverpiensi super Regulam, intitulatus: «*Lectiones paroeneticae*», non legatur a nostris Fratribus, et hoc precipitatur in virtute S. Obedientiae, donec et quousque, etc. Ideo Patres Provinciales colligant omnia exemplaria quae reperientur in suis provinciis et illa ponant in archivo, vel alio loco concluso, donec, etc». CLAUDIO BITURICENSES, *Breviarium chron.*, ad ann. 1627, p. 219; REUSCH, *Der Index der verbotenen Bücher*, t. II, p. 261, Bonn, 1885.

tum Patres nostri Ordinis fecerunt expungendo, declarando, modificando et corrigendo, ut oportebat. In hac autem castigatione, ut testatur P. Cyrillus a Bergomo (1), fuit omnino expunetus huiusmodi error circa pecuniae notionem, omniaque corollaria, quae secundum Cyprianum Crouthers, ex doctrina sua sequabantur.

Nec solum hoc factum, verum et doctrina in Capitulis generalibus tradita, illi expositorum doctrinae undequaque conformis, satis nobis patefaciunt qualis fuerit sententia in Ordine nostro recepta (2).

B) *Prohibitionis extensio.*

111. — Assignanda est vis singularis huic speciali prohibitioni, quae in Regula minoritica fit, pecuniam recipiendi (3). Ecquidem vi talis prohibitionis vetatur Franciscalibus etiam pecuniae usus facti, ille nempe actus, qui in ceteris rebus temporalibus eis unice permittitur, ita ut, licet possint rerum aliquarum usum facti habere sine dominio, pecuniarum tamen nec proprietatem, nec usum habere queant. Professoribus ergo Regulae Seraphicae, vi praecepsi de pecunia non recipienda, interdicitur :

1º Dominium seu proprietas pecuniae, omnesque actus, qui dominium supponunt, vel significant (4) ;

2º Quaelibet auctoritas, seu civilis pecuniae administratio, etiam si in aliorum gratiam fiat, vel alieno nomine (5) ;

3º Simplex pecuniae usus facti. Optime hanc rem declaravit Innocentius XI in const. *Sollicitudo pastoralis* : « Aliarum enim rerum necessiarum, possunt Fratres Minores . . . huiusmodi habere usum, licet non dominium ; denariorum autem nec dominium nec usum. Et proinde quaevis contrectatio pecuniae seu denariorum, quae non sit pure naturalis, seu quae sit quovis

(1) Cf. *Op. cit.*, p. 91, n. 8. Ipsi prae manibus habere non potuimus exemplar operis emendatum.

(2) Cf. *Cap. Gen. XXX*, (1633), A O, t. VI, p. 15s.

(3) Doctrina tradenda denariis et pecuniae communis est, sed quia largo sensu denarii appellantur quoque pecunia, in posterum pro utroque unice usurpatur verbum « pecunia ».

(4) Cf. ALBERTUS A BULSANO, *Expositio Regulae*, n. 209, p. 291 sq.

(5) Cf. 1, V, 11 in Clem. c. 1197.

modo politica cuiuscumque domini sint denarii seu pecunia, Fratribus Minoribus . . . est omnino prohibita (1).

Ex his verbis Pontificis eruitur usum pecuniae politicum dictum esse nobis prohibitum, non autem illum qui naturalis appellatur.

Usus facti politicus, qui diversimode apud doctores nuncupatur (2), habetur cum quis pecuniis utitur iuxta valorem earum extrinsecum, seu iuxta hominum aestimationem adhibentur ad res alias sibi procurandas; est nempe usus pecuniae, qua pecunia, i. e. quatenus est formale instrumentum in contractibus.

Usus facti naturalis, qui diverse quoque ab expositoribus nuncupatur (3), adest cum quis pecunia utitur, quatenus est metallum quoddam, seu massa auri, argenti, cupri, etc., ad opus aliquod perficiendum, v. gr. receptio monetae aureae ad calicem deaurandum.

Politicus pecuniae usus est Capuccinis absolutie prohibitus, naturalis vero concessus (4).

Ut huius praecepti ambitus lucidius appareat, summatim actus praecipuos recensemus fratribus circa pecuniam vetitos.

(1) B R, t. XIX, p. 215; et antea NICOLAUS III, c. 3, V, 12 in VI c. 1116.

(2) Vocatur etiam civilis, formalis, moralis.

(3) Nempe, materialis, realis.

(4) Silentio praeterenundum non est nonnullos expositores, verbis inhaerentes Nicolai III: « Cum manifeste ex praedictis pateat, praedictos fratres non solum in receptione, proprietate, dominio, sive usu ipsius pecuniae, verum etiam a contrectatione qualibet ipsius, et ab ea penitus alienos » (cf. c. 3, V, 12 in VI, c. 1116 etc; c. I, V. 11 in Clem. c. 1127), docere ipsum pecuniae tactum materiale messe fratribus vi Regulae prohibitum. Adduebantur pro hac sententia auctoritas S. Bernardini Senensis, qui inter actus proprietatis recenset: « Toccare et numerare i denari con mano, o legno, o portargli sopra di se in qualunque modo » (cf. GREGORIO DA NAPOLI, *op. cit.*, p. 449) et Constitutiones generales Gulielmi Farinerii (B F, t. VI, p. 64 sq). Hanc sententiam ex nostris propugnarunt JOANNES A FANO (*Dialogo de la salute*, p. 103; *Discorso circa la povertà*, in A O., t. XXVII, p. 119); plures alii primae tempestatis Capuccini, ut asserit BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. I, p. 225, et SILVESTER ASSISIENSIS (*op. cit.*, f. 96 de tactu denarii, non vero de illo pecuniae); tamen maior expositorum Capuccinorum pars tenuit oppositam sententiam, ut JOANNES A TUSA, (*op. cit.*, f. 55r); HIERONYMUS A POLITIO, (*op. cit.*, cap. IV, n. 5, p. 316); LODUVICUS PARISIENSIS, (*op. cit.*, cap. IV, p. 233); sed omnes animadvertisunt sedulo posse aliquando ipsum tactum pecuniae materiale esse illicitum ratione scandali, vel pravae cupiditatis periculo, atque ad hunc casum verba S. Benardini et dispositiones statutorum generalium Gulielmi Farinerii referunt.

a) Fratres non possunt pecuniam per se vel per personam interpositam emendicare, ultiro oblatam in ecclesiis vel alibi recipere(1), pariterque cippos seu truncoſ collocare ad offerentium ſeu donantium pecunias colligendas (2);

b) neque eis licitum eſt in mutuum pecunias dare vel recipere;

c) item vetatur alienas pecunias in depositum, v. gr. ad custodiam accipere, ſi depositum importet civilem custodiae obligationem et, ſi res pereant, illas restituendi (3);

d) non possunt Fratres Minores eſſe pupillorum tutores, minorum curatores, familiarum oeconomi, testamentorum exsecutores, quia haec omnia pecuniae contrectationem politicam, ſeu civilem administrationem implicant; non tamen prohibentur alios in his rebus sanis adiuvare consiliis (4).

Denique Fratribus Minoribus iniungitur in Regula ut nec per ſe, nec per personam interpositam pecuniam recipiant. Postremo loco explananda ſunt verba ista.

Pecuniam per ſe recipere, ſecundum Regulam et declarata

(1) Agitabatur tunc temporis inter expoſitores capuccinos elegans dubium: Quid fieri debet de oblationibus pecuniaris, quas ſponte relinquunt fideles in ecclesiis nostris, v. gr. ad imaginem, vel altare alicuius sancti? Si earum dominus persistat ignotus, nequeunt fratres tali pecunia uti, nequidem in caſu necessarii recursus ad pecuniam, quia, aiunt expoſitores, ut recursus licite perficiatnr, pecunia, dum non expenditur, debet in dominio benefactoris certo perseverare, hic autem, eum dominus sit ignotus, haec conditio non verificatur. Non deerant qui ſuadebant, ut cum ſordibus ſic inventa pecunia everreretur; ſed generatiſ ſequens offerebatur dubio iuridica ſolutio: tradatur epifcopo ſic reperta pecunia, ut illam pauperibus distribuat, nam bona incerta, iuxta canones, ad pauperes pertinent, et ad epifcopum ſpectat eorum distributione. Sie JOANNES A FANO, *Dialogo de la ſalute*, p. 117; JOANNES A TUSA, *op. cit.*, f. 56r; GREGORIO DA NAPOLI, *op. cit.*, cap. IV, p. 250-251; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. IV, p. 188. Haec doctrina fruit poſtea in Capitulo generali trigesimo primo (1637) ſancita: «Provincialis non potest facultatem tradere guardiano, ut pauperibus pro eleemosyna elargiatur moneta ſpectans ad ſacellum S. Felicis ex praesumpta Ordinarii licentia; quia licet ad Ordinarium pertineat distributionis facultas pro ſimilibus oblationibus, attamen non potest dispensare nobis, ut de pecunia pro libitu diſponamus». A O, t. VI, p. 206.

(2) Cf. CLEMENS V, c. 1, V, 11 in Clem. c. 1196.

(3) Cf. HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. IV, n. 7, p. 311; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. IV, p. 189.

(4) Cf. P. MARCHANT, *op. cit.*, cap. IV, d. 219-220; ALBEBTUS A BULSANO, *op. cit.*, n. 211, p. 192. Alias quaestiones vide apud expoſitores ad cap. IV; PIATUS MONTENSIS, *op. cit.*, t. III, p. 61-72.

tiones pontificias, ait egregie Hieronymus a Politio, « est usum habere pecuniae: hoc est, per seipsum, ad nutum, absque alia aliqua dantis auctoritate, sed propria, pecuniam in aliquos usus sive proprios sive alienos convertendam recipere » (1).

Pecuniam per interpositam personam recipit frater, qui auctoritate sua aliquem constituit, ut accipiat pecuniam in usus fratris proprios convertendam vel, iuxta eius arbitrium, expendendam (2).

Huius praecepti de pecunia non recipienda momentum et gravitas pro Ordine nostro possunt inferri ex doctrina a doctoribus tradita, iuxta quam hoc praeceptum in casu tantum extremae necessitatis cessat, in conflictu nempe cum iure naturali vitae conservationem praecipienti; immo non defuerunt aliqui, quorum sententia improbat, sustinentes pecuniae usum nequidem in extrema necessitate esse licitum, et mortem potius esse tolerandam, quam pecuniam ad usum recipere (3).

C) *Huius praecepti observantia in reformatione nostra.*

112. — Abusus inducti in Ordine Fratrum de Observantia circa emendationem et receptionem eleemosynarum pecuniae inter alia causam et occasionem praebuerunt Capuccinorum separationi et recessui ab Observantibus ac novae Reformationis instaurati (4). Inde est, ut unanimi consensu testantur primi chronographi, quod Capuccinorum Reformatio singulariter persequitur strictissimam huius praecepti de non recipienda pecunia adimpletionem. Ab anno 1536 in textum Constitutionum inseruntur verba haec S. Francisci: « veros fratres non pluris pecuniam et denarios quam pulverem existimare debere, quinimo eandem perinde ac venenosum serpentem effugere atque horre scere » (5); et in vita fratrum reactio seu repugnantia fuit adeo

(1) *Op. cit.*, cap. IV, n. 3, p. 318.

(2) Cf. *Const. 1536*, n. 57.

(3) Cf. A. CASARUBIOS, *op. cit.*, v. paupertas, p. 295; SILVESTRO D'ASSISI, *op. cit.*, f. 96v-97r; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. IV, p. 186.

(4) Cf. GIOVANNI DA FANO, *Dialogo de la salute*, p. 117; JOANNES A TERRANOVA, *De origine Ord. Fr. Min. Capuccinorum*, in A O, t. XXIII, p. 152; MARIUS A MERCATO SARACENO, *Relationes*, p. 331 sq.; BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 27 sq.; RUFINO DA SIENA, *op. cit.*, in *L'Italia Franc.*, 1928, t. III, p. 302.

(5) *Regula 1221*, cap. VIII, in *Opuscula Sancti Patris Francisci*, p. 35; *Const. 1536*, n. 58.

vehemens, ut priscis temporibus, ait Bernardinus a Colpetrazzo, nullo prorsus modo immiscebantur pecuniis, nequidem recursu ad pecuniam a Regula permisso et a Nicolao III iuridice ordinato; nitebantur pro viribus necessitatibus omnibus mendicatione subvenire(1). Anno circiter 1580 cum P. Marius a Mercato Saraceno, ex-Vicarius Generalis, tertiam contexebat Relationen, poterat adhuc in eam pretiosam hanc inserere attestationem, quam ne deturpetur, de verbo ad verbum referimus: « nel fatto de denari non punto meno che quei primi nostri Frati mostra zelo hoggidì universalmente ogn'uno per gratia di Dio, né mai si son veduti, né si veggono nelle nostre chiese o in alcun luogo de nostri, ceppi, casse, bacili, o d'altre cose che quivi diano cenno da ponersi denari, o altre simili pecuniarie elemosine. Onde ardisco dire, e ciò sia detto a laude e gloria di Dio, che al tempo stesso di quei nostri Padri fu la Religione in quella perfetta osservanza, come ella si fusse al tempo di S. Francesco; et in quanto a denari ella dura e segue ancora con animo gagliardo e vigilantissimo » (2).

Fratres particulares, ait ipse Marius paulo infra, non minus sunt a pecuniae cupiditate remoti, quam caelum distat ab abyssu (3). Praeterea nec ipsi fidelium populo rigor celabatur, quo Capuccini paeceptum hoc praxi tradebant, hoc autem eloquenter ostendit factum quoddam a chronographis enarratum. Hospitalarii Fratres S. Joannis de Deo incedebant Romae habitu illi Capuccinorum simillimo, atque in locis ubi magna populi confluebat frequentia stipem mendicabant; populus, illos Capuccinos esse iudicans, eleemosynas ipsis erogabat, non tamen sine scandalo, quia pecuniam accipiebant (4). Brevi *Regularium personarum* (4 oct. 1581), quo Gregorius XIII huic Fr. Capuccinorum succurrebat incommodo, alios districte prohibendo, ut Capuccinorum habitum usurparent, scripsit etiam Pontifex: « (usurantes habitum) passim a populo pro Capuccinis habeantur... ac illis, tanquam talibus, eleemosynae et oblationes elargiantur,

(1) « Nelle pecunie in modo nessuno ci si intricavano, quantunque secondo la Regola ci si conceda il ricorso agli amici spirituali in certi casi; eglino si sforzavano in tutte le necessità di supplire mendicando ». BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 8, 182.

(2) MARIUS A MERCATO SARACENO, *Relationes*, p. 256 sq.

(3) Cf. *ibid.*, p. 257.

(4) RUFINO DA SIENA, in *L'Ital. Fran.*, t. VI, p. 152.

non sine eorumdem Capucinorum praejudicio et saecularium scandalis, qui Capucinos a Regulae observantia emancipatos credunt, eisque pecuniarum usum, ac rerum commercium permitti intuentur » (1).

Hoc modo vita observabantur verba illa, quae saepe in documentis huius temporis repetuntur: « Fratres non faciant quaestus pecuniae, nequidem in nostris ecclesiis, nec pro se, nec pro aliis (2) ». Cum pecunia sit illis absolute necessaria, per recursus ad amicos spirituales iuridice providetur.

Art. 2. — DE RECURSU AD AMICOS SPIRITUALES

113. — S. Franciscus sapienter praevidit non omnia, quae suis fratribus sunt necessaria, posse per liberales fidelium oblationes, aut per humilem mendicationem, vel fidele laboritum obtineri; sed solum mediante pecunia. Ne ergo ipsos fratres in perieulo collocaret, dum pecuniam eis recipere vetat, quae interdum est ad vitae sustentationem omnino necessaria, providit in Regula ut, si supradicta media ad necessariarum rerum procurationem non sufficerent, fratres ad amicos spirituales recurrent, qui per pecuniam eis necessaria providere possint et velint.

Itaque recursus ad amicos spirituales est in oeconomia franciscana suppletorius vivendi modus, ita tamen iuridice ordinatus, ut secundum praescriptionem S. Francisci omnia Regulae praecepta circa paupertatem, singulariter illa de nullo iure in res temporales possidendo, atque de pecunia non recipienda in taminata relinquat.

Nicolaus III decretali *Exitit* iuridicam recursus ad amicos spirituales ordinationem accuratori modo quam alii Pontifices fecit, dum modos et formas in ea praefinivit, quibus impletis, licite ad amicos spirituales recurritur. Haec Nicolai III declaratio in omnibus, maxime in hac re, ad unguem observabatur in Reformatione capuccina, ut asserit P. Marius a Mercato Saraceno (3); et ex Capitulis generalibus atque Regulae expo-

(1) B C, t. I, p. 36.

(2) Cf. *Cap. Gen. XVII* (1578), in CLAUDIO BITURICENSESIS, *Breviarium chronologicum*, p. 107; SILVESTRO D'ASSISI, *op. cit.*, f. 113v-114r; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. IV, p. 210.

(3) « Bisognando (come la Regola dice) ricorrere a gli amici spirituali si serva

sitoribus id plane constat. Ideoque ex hac decretali lineamenta iuridica recursus accipimus fundamentalia, indicantes qualiter in Reformatione nostra doctrinaliter interpretabantur. Quamvis haec quaestio, ut iure asserunt Regulae expositores « difficilis sit et periculosa » (1), temporisque decursu fuerit dubiis et innumeris quaestionibus implicata, aliquatenus pro nobis evadit simplicior, quia illam sub aspectu iuridico tantum contemplatur et quidem ad sequentia argumenta restrictam ; A) quid veniat sub nomine recursus ; B) ad quosnam spectet recurrere ; C) quando est recurrentum ; D) quomodo est recurrentum.

A) *Quid veniat nomine recursus.*

114. — Regulae expositores non consentiunt in tradenda notione recursus ad amicos spirituales: nos potius quam singulas percensere opiniones, intendimus hic doctrinam tradere apud omnes receptam.

In omni recursu duae partes intercedunt: fratres, qui recurrent, et sic dictus amicus spiritualis, ad quem recurritur. « Recurrere » vero ex communi usu loquendi et ex vi ipsius verbi tam in iure, quam in philosophia importat actum positivum (2). Sed qualis est natura huius actus ?

Recursus ad amicos spirituales, de quo in Regula nostra et in eiusdem declarationibus sermo est, certe verificatur cum fratres benefactorem, qui eleemosynam sponte nec obtulit, nec promisit, precibus aut propriarum necessitatum manifestatione movent ut pecunia sua fratribus res, quibus indigent, provideat, vel pro rebus iam procuratis pecunia sua satisfaciat.

*ad un pontino la dichiaratione di Nicold terzo». Relationes, p. 257. Hic est animad- vertendum, quomodo primis Reformationis annis, ne ullo modo fratres intricarentur pecuniis, Capuccini a recursu perficieudo penitus abstinebant. Hunc tamen modum procedendi perfectionis studium, ant desiderium maioris in vita austera- tatis suadere poterat, non tamen considerabatn iuridice praescriptus. Idipsum testatur Ioannes a Fano addens quod haec agendi ratio plurima priscis fratribus in vestitu, victu, habitatione et rebus omnibus afferebat incommoda cf. Dialogo de la salute, p. 102 sq., 176. Sed temporis decursu, crescente fratum numero, Ordo magis ad pontificias Regulae declaraciones accessit, « E secondech è venuta crescendo la Congregazione, i Frati si son venuti accostando alle dichiarazioni dei Sommi Pontefici ». BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 8.*

(1) Cf. SILVESTRO D'ASSISI, *op. cit.*, f. 108v.

(2) CYRILLUS A BERGOMO, *op. cit.*, p. 427, n. 9.

In hoc casu natura actus positivi necessarii ad recursum his verbis significatur: « Recurrere est intendere et dare causam moventem et excitantem, sollicite et expresse procurando et agendo, ut quis, de non volente sponte, fiat volens pecuniam suam pro fratribus necessitatibus expendere ». Iuxta hanc doctrinam amicus spiritualis dicitur persona spiritualiter amans Religionem nostram, quae a fratribus rogata sua pecunia vel res illis necessarias procurat, vel pro iam procuratis, facta solutione satisfacit (1).

Ad constituendum ergo recursum duo certe requiruntur:

- a) fratribus sollicitatio, tanquam causa;
- b) pecuniae expensio, tanquam effectus.

Disputatur tamen inter doctores, an notio recursus latius patet. Dum nonnulli asserunt recursum in sensu Regulae tantum verificari cum fratres causae sint ad solvendun moventes, seu pecuniae expensionem ipsi petant aut procurent (2), alii magis extendunt rationem recursus (3). Has controversias ipsi prae-termittimus, ut minus ad nostrum studium pertinentes; tantummodo significare volumus doctrinam apud expositores capuccinos huius primi saeculi receptam non posse ad priorem sententiam reduci, maiorem enim tribuunt illi extensionem recursui, cum doceant mente una pecuniam sive a fratribus quaesitam, sive eis liberaliter a vivis oblatam, vel in testamento relictam recipi non posse, et in fratribus necessitates converti, nisi modi et conditiones adimpleantur a Nicolao III pro recursu ad amicos spirituales in decretali *Exiit* constituti (4). Antequam hos modos et causas recurrendi declaremus, quaestio sequens est logice praemittenda, nempe: quinam ad amicos spirituales possint et teneantur recurrere.

(1) Cf. CYRILLUS A BERGOMO, *op. cit.*, p. 427, n. 9; ALBERTUS A BULSANO, *op. cit.*, n. 219, p. 303 sq. Circa nomen amici spiritualis non semper fuit in Ordo Minoritico stabilis terminologia. Cf. P. GRATIEN, *Histoire de la fondation*, p. 298, not. 80.

(2) CYRILLUS A BERGOMO, *loc. cit.*; PIATUS MONTENSIS, *op. cit.*, t. III, p. 75.

(3) CYPRIANUS CROUSERS, *op. cit.*, cap. IV, p. 275; P. MARCHANT, *op. cit.*, cap. IV, p. 239.

(4) Cf. HIERONYMUS A SORBO, *op. cit.*, v. legata p. 191; GIOVANNI DA TUSA, *op. cit.*, f. 46r; GREGORIO DA NAPOLI, *op. cit.*, p. 99 et sq.; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. IV, p. 210, 211, ubi acriter invehit in sententiam eorum qui « credono che non sia ricorso alla pecunia se non quando si cerca, et non quando si accettano le offerte (eleemosynae pecuniariae) spontaneamente »; LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, p. 68.

B) *Ad quosnam spectat recurrere.*

115. — S. Franciscus in Regula statuerat: «Tamen pro necessitatibus infirmorum et aliis fratribus induendis, per amicos spirituales, Ministri tantum et Custodes sollicitam curam gerant» (1).

In his verbis Regulae duplex in primis praeceptum distinguere oportet, nimirum: affirmativum, quo Ministris et Custodibus imponitur ut pro necessitatibus infirmorum et pro aliis fratribus induendis gerant sollicitam curam; et negativum, quo reliqui fratres ad amicos spirituales recurrere prohibentur (2).

Sub «Ministrorum» nomine, omnes consentiunt expositores, veniunt Ministri Provinciales et Generales; Custodes vero sunt Superiores illi qui ad instar Provincialium, commissariatum, seu custodiam, ordinaria regunt potestate, personam nempe moralem provinciae inferiorem, cui ob parvum conventuum numerum Minister Provincialis non praeficitur. Dubitabatur tamen an vi Regulae sub Custodum nomine intelligerentur quoque Guardiani, seu Superiores locales.

Veteres doctores franciscani, inter quos S. Bonaventura (3) et Quatuor Magistri (4) recensentur, affirmativam sententiam tenerunt; tamen post decretalem *Exitit* plures negativam pugnant, licet agnoscerne non recusent, quod ante Nicolai III decretalem sub nomine Custodis Guardiani quoque intelligebantur (5). Differentiae autem quae speculative aderant inter utramque sententiam, practice evanuerant, quia etiam iuxta opinionem eorum, qui sententiam negativam tradiderant, Guardiani facultate recurrendi fruebantur, non quidem ex vi et tenore ipsius Regulae, sed vi generalis tacitaeque commissionis, quae fiebat iuridice, eo quod Nicolaus III delegandi facultatem Ministris et Custodibus expresse concesserat.

(1) Cf. *Opuscula S. Francisci*, p. 67.

(2) Cf. ALBERTUS A BULSANO, *op. cit.*, n. 223, p. 308.

(3) *Expositio Regulae*, cap. IV, *Opera omnia*, t. VIII, p. 418, 419.

(4) Cf. *Mon. Ord.*, t. II, f. 22r; B. BRENDULINO, *Expositione*, f. 75v; ANGELUS CLARENUS, *op. cit.*, cap. IV, p. 105; HUGO A DINA, apud *Mon. Ord.*, t. II, f. 59r.

(5) Cf. ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. IV, q. 178; ANTONIO DA PATTI, *Considerationi et expositioni sopra tutti li preceetti della Regola de Frati Minori*, cap. IV, p. 294, Venetia 1615; HIERORMYUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. IV, n. 12, p. 327.

Haec doctrina, communiter apud doctores franciscales recepta, integre non assumitur in Reformatione Fratrum Capuccinorum hoc primo saeculo decurrente. Assentitur equidem opinioni eorum, qui Guardianis denegabant habitam recurrendi facultatem vi et tenore Regulæ, sed insuper Guardianis capuccinis non conceditur generalis tacitaque delegatio, ut ipsi recursum peragant. Sane Constitutiones anni 1536 praecipiunt: « ut minori gravamini simus amicis nostris, nullus fratum emere faciat aliquid notabilis pretii vel solvere sine licentia Vicarii Provincialis » (1). Facultas ideo recurrendi, iuxta Constitutiones, Vicariis Provincialibus competit, aliis autem fratribus, etiam Guardianis, solum de speciali Vicarii Provincialis licentia. Eandem dispositionem retinent adhuc immutatam Constitutiones quae an. 1575 recognitae sunt (2).

Si dubium aliquod circa verum Constitutionum sensum possit mentibus occurrere, illud dissipant decisiones Capitulorum generalium, in quibus dilucide doctrina supra exposita proponitur. Capitulum generale Romæ habitum an. 1596, verba allata Constitutionum declarans, statuit: « nec Guardiani, nec alii fratres pecuniam expendere audeant nisi obtinuerint prius Ministri Provincialis licentiam scriptam, praeterquam pro acquisitione rerum minimarum iuxta Provincialis tamen aestimationem (3).

Constitutiones vero an. 1608 omittunt verba Constitutionum an. 1536 modo allata; quanam autem de causa hoc factum sit, nos latet; sed certe non fuit nova praxis in Ordine introducta.

Sanctes Tesauro, qui anno 1614 suam expositionem Regulæ publicabat Romæ, dum fungebatur Definitoris Generalis officio (4), scribepat: « le nostre Constitutioni prohibiscono, che niun frate suddito, etiamdio Guardiano, non ricorra a pecunia per cosa alcuna, senza licenza del Provinciale » (5). Et paulo post (1626) Capitulum generale vigesimum nonum praevidens posse aliquando contingere urgentem recurrendi necessitatem,

(1) *Const. 1536*, n. 60.

(2) *Const. 1552*, n. 60; *Const. 1575* p. 59.

(3) « Che non si spendano danari da nessuno Guardiano, ne da frati, senza licenza in scriptis del P. Provintiale, eccetto in cose minime nelle quali giudicherà il P. Provintiale ». A O, t. V, p. 136.

(4) Cf. AO, t. V, p. 279.

(5) *Op. cit.*, cap. IV, p. 194.

quae dilationem non patiatur necessariam ad obtinendum Provincialis scriptam licentiam, determinavit : Si Guardiani, urgenti necessitate compulsi, ad pecuniam recurrent absque licentia Provincialis, illud in libro adnotent, quem postea exhibere tenentur Provincialibus in canonica visitatione, vel Capitulo (1).

Ex dictis in hac paragrapho elucet Guardianos in Ordine Fr. Capuccinorum primo saeculo durante neque ordinariam, neque delegatam habuisse facultatem ad amicos spirituales recurrenti.

C) *Quando est recurrendum.*

116. — Ipse S. Franciscus declaravit in Regula quando Ministri et Custodes ad amicos spirituales possint ac teneantur recurrere : « pro necessitatibus infirmorum et aliis fratribus induendis ». Sub ista dupli causa ceterae comprehenduntur necessitates illis similes, sive ad victum spectent, sive ad divinum cultum, sive ad sapientiale studium, iuxta pontificias Regulæ declarationes (2).

Ut autem recursus licitus, vel etiam praeceptus declaretur, iuxta Nicolai III doctrinam et communem expositorum sententiam, quinque conditiones requiruntur, quas summatim recensere atque explicare iuvabit ad mentem praesertim expositorum Ordinis nostri, qui hoc saeculo scripserunt.

1^a *Rei necessitas per recursum procurandæ debet esse vera.*

Recursus solum pro necessitatibus permittitur, nam si usus rerum fratribus non conceditur nisi necessarius (3), multo minus concedetur, ut rem aliquam mediante pecunia fratres sibi procurent non necessariam ; necessitas rei ergo imprimis debet

(1) Cf. *Cap. Gen. XXIX* (1625), AO, t. VI, p. 75 ; *Cap. Gen. XXX* (1633), AO, t. VI, p. 142; *id. XXXI* (1637), AO, t. VI, p. 169, in quibus idem modus praecepit asservandus, ut possint Guardiani pecuniarias eleemosynas accipere promissis celebratis. Praelati, qui contra egerint, privantur officio, subditi autem sustinere debent poenam caparonis ad arbitrium Provincialis. Similis iterantur praeceptiones in Capitalis generalibus subsequentibus. Cf. *Cap. Gen. XXXIV* (1665), AO, t., VII, p. 19.

(2) Cf. c. 1, V, 11 in Clem. c. 1196.

(3) Cf. c. 3, V, 12 in VI, c. 1114-1115 ; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. IV, n. 16, p. 331.

esse vera. Quaenam autem est necessitas vera? Huius rei enucleatio summopere interest, quia ut expositores asserere non formidant, totum nostrae professionis observantiae, eiusdemque relaxationis et transgressionis fundamentum maxime in examine istius verae necessitatis consistit (1).

Vera necessitas est illa, quam expositores appellant necessitatem strictam (2), alii necessitatem naturae (3), vel necessitatem absolutam (4), quibus nominibus necessitas illa designatur, quae dicitur hodie extrema, seu valde gravis. Vera est quoque necessitas illa, quae ab expositoribus appellatur accommoda, sive congruentiae Religionis (5).

In confesso est apud omnes licere in extrema et in gravi alicuius rei necessitate ad amicos spirituales pro eius sublevatione recurrere, dummodo ceterae requisitae verificantur conditiones; pari modo licet recurrere in necessitatibus accommodis, quarum tamen natura est recte intelligenda.

Accommoda necessitas non sic intelligenda est, ac si id omne necessarium dicatur, quod ad commodum fratrum promovendum requiritur (6); accommoda vocatur non a «commodo», sed ab «accommodare», ita ut necessitas acommoda sit reponenda in carentia alicuius rei, cuius usus nostrae paupertatis professioni convenit, accommodatur, seu qui nobis ex Regula probatur concessus. Talis necessitas cum dicat ordinem ad usum, est ideo mensuranda iuxta diversam rationem usus fratribus Minoribus competentis, nempe, in aliquibus usus arctus, in ceteris vero usus moderatus, ut postea videbimus.

Res ergo pro qua recurritur saltem accommoda necessitate debet esse necessaria, i.e. usui rerum arcto vel moderato, nobis permissis, conformis, et hoc sive necessitas communis sit, sive particularium propria.

(1) Cf. HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. IV, n. 18, p. 333.

(2) Cf. ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. IV, q. VII, p. 181; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. IV, n. 18, p. 333; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. IV, p. 216.

(3) Cf. GIOVANNI M. DA TUSA, *op. cit.*, f. 45r.

(4) Cf. P. MARCHANT, *op. cit.*, cap. IV, p. 250.

(5) Cf. GIOVANNI M. DA TUSA, *loc. cit.*; GRÈGORIO DA NAPOLI, *op. cit.* p. 257.

(6) Innocentius IV const. *Ordinem vestrum* (14 nov. 1245) concedebat fratribus recursum non tantum pro rebus necessariis sed et pro utilibus; hoc autem Nicolaus III ad necessitates restrinxit.

Ad recte vero iudicandum qualis sit usus accommodatus statuique nostro conformis et quaenam sit proinde vera necessitas, commonent hic expositores nostri, ut piae oculis diligenter habeatur:

a) status noster, qui supra magnam humilitatem, paupertatemque constitutus, ab aliis differt Religionibus; certe, aiunt ipsi, ab intentione S. Francisci longe aberat, quod filii sui in victu, habitatione et vestitu a ceteris religiosis rigore non differant;

b) obligatio ab ipsa Regula fratribus iniuncta observandi in aliquibus usum rerum arctum, in ceteris vero usum moderatum (1).

Pro necessitatibus fictis seu imaginariis, atque pro rebus acquirendis superfluis, pretiosis aut curiosis, quarum usus est nobis penitus interdictus, nunquam recurrere licet ad amicos spirituales (2).

Huiusmodi doctrina, pontificiis Regulae declarationibus in-

(1) Cf. SILVESTRO D'ASSISI, *op. cit.*, pf. 111r; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.* cap. IV, n. 19, p. 334; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. IV, p. 215; LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, cap. IV, p. 257.

(2) Cf. c. 3, V, 12 in VI, c. 1114. « Superfluum dicitur et est id, quo sufflato, reliquum commode sufficit. Curiosum est, quod ad sensuum delectationem fit, ut picturae, decor in aedificiis. Pretiosum est, quod ultra sufficientis necessitatis respectu nostri status valorem, quid habet, ut puta argenteam quaerere crucem, vel auream, ubi lignea vel aerea sufficit». HIERONYMUS A POLITIO, *loc. cit.*

Non leviter inter expositores contendebatur ob hanc quaestionem, vere famosam: an sit licitus considerandus recursus «pro pitantia procuranda», i. e. pro certa portione carnis, piscis et similium emenda et fratribus aliquoties danda? Talis res est vere necessaria? Ante Reformationem nostram Capuccinorum hoc dubium agitabatur et solvebatur diversimode. Cf. B. BRENDULINO, *op. cit.*, f. 84v sq. Capuccini expositores negativam amplexati sunt sententiam, nempe non licere pro habenda pitantia ad amicos spirituales recurrere. Cf. SILVESTRO D'ASSISI, *op. cit.*, f. 112; GREGORIO DA NAPOLI, *op. cit.*, p. 93-94. Quam doctrinam Ordo noster in Capitulis generalibus semel atque iterum approbavit et, ut observaretur imposuit, praesertim anno 1633: « ch'il sentimento della Religione dal principio sin ad oggi sempre osservato e praticato è che per pittanza non è lecito ricorrere, non essendo del numero delle cose necessarie ». A O, t. VI, p. 141. Idem repetitur in *Cap. Gen. XXXI* (1637), A O, t. VI, p. 168. In Capitulo anni 1643 contra facientes severissimis poenis plectuntur: « si Guardianus est, absque remissione privetur officio, si praedicatores, aut simplices sacerdotes, voce activa et passiva per annum, alii fratres per duos menses poemam caparonis sustineant ». A O, t. VI, p. 240. Pitantia ergo non adnumerabatur inter res usui moderato necessarias.

nixa, certe ab anno 1536 in Ordine nostro recipitur. In iudicio autem practico efformando circa ea, quae ad usum moderatum pertinent, Ordo noster toto hoc tempore normam sequitur a S. Bonaventura traditam : « Cum fratres sint professores altissimae paupertatis, oportet, ut omnia quae in eorum usum veniunt, habeant, ut est possible, parvitatem, vilitatem et asperitatem, quae tria paupertatem altissimam naturaliter consequuntur »(1).

2^a Rei necessitas debet esse praesens vel imminens.

Altera ad recursum conditio exigit, ut necessitas rei per recursum procurandae sit praesens vel imminens, et non tantum post longum tempus futura, aut mere possibilis.

Ratione temporis triplicem necessitatis speciem distinguunt expositores, scilicet praesentem, imminentem, futuram (2) ;

a) Praesens, si modo res quaedam, v. gr. caro pro infirmo, necessaria est et absque recursu obtineri non potest. Ad necessitatem praesentem reducitur illa quae ab aliis praeterita nunquam patitur, cum nempe solutio mediante pecunia procuranda est pro rebus iam antea acquisitis, v. gr. fratres e pharmacopola pro infirmis medicamenta acceperunt, et solum per recursum possunt ei satisfacere ;

b) Imminens, quae in documentis ingruens, emergens quoque appellatur (3), illa est, quae certo et in brevi eventura cognoscitur, et cui solum per recursum provideri potest. Imminens dicitur ab *in* et *maneo*, quia est quasi intus per notitiam et inchoationem manens, v. gr. conventus murus ruinam minatur, quamvis nondum corruerit, superior ad amicos spirituales recurrere potest, ut murus reparetur (4) ;

c) Futura est illa, quae certa et determinata non est, sed aequa potest contingere, aut non (mere possibilis), vel non nisi post multum temporis eveniet, cui, cum evenerit, illico aut brevi tempore poterit provideri (5).

(1) *Expositio super Regulam*, cap. VI, *Opera omnia*, t. VIII, p. 422.

(2) c. 3, V, 12 in VI, c. 1115-1116.

(3) V. gr. in decretali *Exitit*, c. 3, V, 12 in VI, c. 1116.

(4) Cf. ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, q. VII, p. 184.

(5) Expositores et statuta saepe vocant « determinatam » necessitatem, quae praeterita, praesens, vel imminens est, et « indeterminatam » seu indifferentem

Recursus ad amicos spirituales licitus est pro necessitatibus praesentibus, vel imminentibus, minime vero pro futuris aut possibilibus, nam si fratres, ut ait Nicolaus III, nihil possunt accipere, sub colore providentiae in futurum, multo minus poterunt ad pecuniam recurrere, ut res sibi pro futuro provideant (1).

3^a Necessitas debet esse fratum propria.

Superiores ergo recursum perficere tantum possunt pro Religionis et domorum necessitatibus, pro illis propriis suorumque subditorum tum in generali, tum in particulari, non autem pro necessitatibus saecularium, aut Ordini alienorum.

Subditorum nomine veniunt etiam fratres itinerantes, in conventu divertentes, atque familiares, qui omnes pro tempore subditi reputantur (2).

4^a Res procuranda non sit commode mendicabilis.

Recursus ad amicos spirituales, ut supra diximus, pro nostro Ordine est suppletorius vivendi modus, proinde debet mendicationi et labori supplere, minime vero illa supplantare. Tunc tantum permittitur recursus, cum res fratribus in praesenti vel imminenter necessaria labore aut mendicatione nequeat obtineri, si autem hoc duplice modo rem possunt commode assequi, recursus erit vere non necessarius et illicitus (3).

5^a Ut eleemosynae indifferentes non habeantur.

Recte intelligi nequit haec ultima conditio, nisi prius non nullas praemittamus notiones : a) Eleemosynae pecuniariae in-

illam, quae est tantum futura. Cf. ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. IV, q. VII, p. 185; *Cap. Gen. VIII* (1552), A O, t. V, p. 75; LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, cap. VI, p. 268. Hoc debet prae oculis haberi ad confusiones devitandas.

(1) c. 3, V, 12 in VI, c. 1115.

(2) Cf. SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. IV, p. 223; ANT. DE CORDUBA, *op. cit.* p. 189.

(3) Doctrina communis expositorum. Cf. P. MARCHANT, *op. cit.*, cap. IV, p. 272; *Cap. Gen. VII* (1552), A O, t. V, p. 75: « Nullus fiat recursus ad pecuniam nisi pro rebus . . . , quae mendicando commode haberi non possunt ».

differentes, seu indeterminatae, dicuntur illae, quas benefactores sponte et simpliciter offerunt fratribus pro eorum in genere necessitatibus sublevandis, et illas pro certo usu aut necessitate non deputant. b) Determinatae e converso illae sunt eleemosynae quae a dante ad subveniendum fratribus in certa quadam et determinata necessitate destinantur.

Ut autem licite recursus perficiatur necesse est quod, dum fit, aliae eleemosynae indiferentes non sint ex quibus sufficienter provideri possit. Hoc sensu, iuxta communem expositorum sententiam, intelligi debent verba illa Nicolai III: « Cessantibus eleemosynis, de quibus satis fieri commode tunc non possit », licitum est recurrere (1).

Ergo a contrario sensu illicitum est, stantibus eleemosynis pecuniariis indifferentibus; indiferentes, dico, quia determinatae debent semper expendi pro vera necessitate a donantibus designata, et non pro aliis absque eorum licentia.

Ex hoc autem minime licet inferri posse fratres pecuniarias eleemosynas recipere indiferentes, illisque uti in propriarum necessitatum levamen, modo et conditionibus diversis ab illis statutis pro receptione eleemosynarum, et vero recursu ad pecuniam.

Doctores, ipseque Ordo noster unanimiter hoc saeculo tradiderunt eleemosynas pecuniarias ex parte donantium indiferentes, sive a vivis oblatas, vel testamento relictas, Capuccinos nec « recipere », nec « consentire », ut pro illis apud aliquem deponantur, nec ad illas recurrere posse, nisi pro necessitatibus praesentibus vel imminentibus sublevandis, quibus alia via subveniri nequit, nunquam autem pro futuris necessitatibus; immo si absque ullo fratrum interventu eleemosynas indiferentes benefactores pro fratribus apud aliquem deponerent, (dantium substitutum) nequeunt Superiores ad illas recurrere nisi conditiones observent, pro recursu ad amicos spirituales praefinitas (2).

(1) c. 3, V, 12 in XI, c. 1115.

(2) Cf. GIOVANNI DA FANO, *Dialogo de la salute*, p. 125; SILVESTRO D'ASSISI, *op. cit.*, f. 113; GIOVANNI DA TUSA, *op. cit.*, f. 47r; GREGORIO DA NAPOLI, *op. cit.*, p. 98-100; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. IV, n. 20, p. 336, et 45, p. 367; SANTI TESAURO, *op. cit.*, cap. IV, p. 206 et 218; *Cap. Gen. XXX* (1633), A O, t. VI, p. 141; *id. XXXI* (1637), A O, t. VI, p. 168. Mitiorem sententiam nonnulli doctores postea tradiderunt et tradunt. Cf. A O, t. VI, p. 359, not. 2; *Mon. ad. Const.*, p. 152; ALBERTUS A BULSANO, *op. cit.*, n. 222, p. 306 sq.

Verba illa «cessantibus eleemosynis», secundum expositam doctrinam, sic interpretabantur: Cessantibus eleemosynis ex parte donantium indifferentibus, quae apud benefactores, vel eorum substitutum inveniuntur, ut fratrum subveniatur necessitatibus praesentibus, vel imminentibus (iam ideo in se determinatis), possunt Superiores pro necessitate adveniente ad amicos spirituales recurrere, minime autem, si elemosynae illae ex parte donantium indifferentes sint adhuc integrae.

Res forsitan enucleabitur exemplo: Superior aliquis cogitat lanam emere post mensem pro induendis fratribus necessariam, et sponte quidam benefactor ei elargitur eleemosynam pecuniariam indifferentem; cum vera adsit et imminens recurrendi necessitas, superior potest benefactori proponere, ut retineat ipse pecuniam, quia necessitatem habent, cui post paucos dies provideri desiderant; si interea nova superveniat necessitas, v. gr. necessitas recurrendi pro aliquo infirmo, superior tenetur prius expendere facere eleemosynam ab ipso emptioni lanae destinatam, nec potest novum perficere recursum, dum elemosyna illa indifferens integra apud benefactorem remanet, vel eius substitutum (1).

Totam in hac paragrapho expositam doctrinam summatim, sed optime tradidit Capitulum generale trigesimum his verbis: Recurrere ad amicos spirituales non licet, nisi iuxta declarationem Nicolai III et Clementis V, i.e. pro necessitate vera, certa, determinata, praesenti vel valde imminente, cui non possit per mendicationem provideri (2).

Iudicare an requisitae ad licitum recursum conditiones ad-sint neque, iuxta Regulam eiusque declarationes superioribus competit, qui possunt et tenentur recurrere.

D) *Quomodo est recurrendum.*

117. — Factam a Seraphico Legislatore Ministris et Custodibus concessionem recurrendi ipse limitavit dicens: «eo semper salvo, ut, sicut dictum est, denarios vel pecuniam non re-

(1) Cf. GIOVANNI DA FANO, *op. cit.*; p. 124 sq.; GIOVANNI DA TUSA, *op. cit.*, f. 46v 47r; GREGORIO DA NAPOLI, *op. cit.*, p. 99.

(2) A O, t. VI, p. 141.

cipient (1) ». Ideoque Superiores, dum recurrunt, pecuniam recipere aut expendere nullatenus possunt, sed ita recursum exsequi tenentur, ut Regulae praecepta, praesertim praeceptum pecuniae receptionem interdicens, non violent.

Hac de causa quinque cautelas expositores Regulae observandas memorant, iuxta declarationes pontificias, ut recursus legitimo modo perficiatur (2).

1^a Ne contrahatur mutuum.

Si eleemosyna pecuniaria, fratribus necessaria, nec eis liberaliter offertur, nec quaesita gratis conceditur, summopere cavere debent ne pecuniam mutuo requirant, quod accidit, si accipiunt eam cum obligatione tacita vel expressa aequivalens reddendi; mutuum enim proprie dictum, ut vidimus supra, multiplici ex causa Fratribus Minoribus interdicitur (3). Si vero predictus casus contingat, ait Nicolaus III: « possint tamen ipsi (Fratres) pro satisfactione facienda, pro eorum necessitatibus quae pro tempore occurrerint, citra cuiuslibet obligationis vinculum, dicere quod per eleemosynas et alios amicos fratrum ad solutionem faciendam intendant fideliter laborare » (4); i.e. mutuum possunt improprie dictum contrahere, quod nullo iure illis vetitum exsistit, quia concessae pecuniae dominium apud eam concedentem manet, et fratres ex fidelitate tantum, non ex commutativa iustitia satisfactionem debent mutuanti praestare.

2^a Necessitas ob quam recurritur amico spirituali manifestetur.

Obligationem revelandi amico spirituali rem et necessitatem ob quas recurritur docuerunt nonnulli expositores verbis Nicolai III innixi: « Liceat temen fratribus suas necessitates insinuare ac specificare vel exponere personae praedictae ac eam rogare, quod solvat » (5). Alii vero in allatis verbis nullam obli-

(1) Cf. *Regula*, ed. cit., p. 67.

(2) Cf. ALBERTUS A BULSANO, n. 232-237, p. 321 sq.

(3) Cf. 3, V, 12 in VI, c. 1115: « Dicimus in primis, quod. fratres ipsi a mutuis contrahendis abstineant, quum eis mutuum contrahere, ipsorum statu considerato, non liceat ».

(4) G. c. 3, V, 12 in VI, c. 1115.

(5) Cf. c. 3, V, 12 in VI, c. 1115. Haec sententia communis dicebatur ab Ant. de Corduba, *op. cit.*, cap. IV, q. VII, p. 187.

gationem reperiebant. Nicolaus III, iuxta illos, humilitatis et prudentiae actum commendabat hoc loco, nihil autem praecipiebat (1). Tamen sicuti ultimae sententiae patroni, quando necessitatis communicatio commode fieri poterat, illam specificare suadebant, sic defensores obligationis, cum honeste vel sine scandalo necessitas in particulari nequibat patefieri, a manifestatione eximebant.

Ex capuccinis expositoribus, antiquiores sententiae adhaerent rigidiori (2); exeunte tamen saeculo decimo sexto et ineunte decimo septimo non pauci sententiam propugnant benignorem (3).

3^a Ne plus procuretur pecuniae quam sit necessarium.

Dum pro veris necessitatibus ad amicos spirituales Superiores recurrunt, non possunt scienter maiorem quantitatem pecuniae quaerere, quam quae ad praesentem vel imminentem necessitatem tollendam reputatur necessaria, aliter agere esset pecuniam procurare superfluam, quod prohibitum nobis est et illicitum.

4^a Ne designent ipsi fratres personam cui consignanda est pecunia.

Si amicus spiritualis quacumque occasione vel causa nollet ipse, vel non posset, pecuniam pro fratum necessitatibus expendere, his non licet personam aliquam auctoritate propria nominare, quae pecuniam persolvendam fratum nomine recipiat; nam qui nomine et auctoritate fratum pecuniam recipit est horum interposita persona; iam vero nobis est omnino prohibitum per interpositam personam pecuniam accipere. Ipse benefactor, iuxta proprium beneplacitum suum debet designare substitutum, qui eius nomine et auctoritate recipiat pecuniam illamque expendat.

(1) Cf. ANT. DE CORDUBA, *loc. cit.*

(2) SILVESTRO D'ASSISI, *op. cit.*, f. 120v, 121r; GIOVANNI M. DA TUSA, *op. cit.*, f. 49r.

(3) HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. IV, n. 31, p. 347; LOUIS DE PARIS, *op. cit.*, cap. IV, p. 277; CYPRIANUS CROUSERS, *op. cit.*, cap. IV, p. 304. Attamen adhuc Sanctes TESAURO, *op. cit.*, cap. IV, p. 227, sententiam Antonii de Corduba impugnat acerrime.

Si tamen neque hoc benefactor vult, aut potest facere, ait Nicolaus III, « in nullo Regulae puritas infringitur, aut quomodolibet ipsius observantia maculatur, si fratres ipsi alicuius vel aliorum sibi carent dare notitiam, aliquos seu aliquem nominare aut etiam praesentare, cui vel quibus, si eleemosynam facienti placuerit, committi possit exsecutio praedictorum » (1).

Hac iuridica ordinatione persequitur: *a)* devitare, ne fratres per interpositam personam pecuniam recipere videantur; *b)* efficere ut pecuniae dominium apud donantem plene et libere remaneat, donec fuerit expensa; *c)* consequi ut substitutus dantis eius nomine et auctoritate totum solutionis exsequatur negotium.

5^a Declaretur « depositario » fratres non esse dominos pecuniae.

Ultima cautela observanda haec est, ut declaretur substituto, status fratrum Minorum ignaro, qualis sit compare ad concessam eleemosynam vera fratrum iuridica conditio, nempe; quod nullum dominium nullumque ius in eam habere, exercere, aut verbis factisve ostendere ipsi possunt, et quod penes dantem plene, libere ac integre remanent pecuniae dominium et proprietas cum libera potestate revocandi sibi pecuniam, usque ad ipsius in rem deputatam conversionem (2).

117 *a.* — Hoc modo legali et suppletorio Fratres Capuccini propriis provident necessitatibus, simulque omnia Regulae pracepta intaminata custodiunt, in nullo eius puritatem infringentes, sicut Nicolaus III solemniter declaravit: « Hac in perpetuum valitura provisionis serie declaramus, quod fratres non intelligantur nec dici possint per se vel per interpositam personam pecuniam recipere contra Regulam ..., quum manifeste pateat ex praemissis ipsos fratres non solum a receptione, proprietate, dominio, sive usu pecuniae, verum etiam a contrectatione qualibet ipsius et ab ea pecunia penitus alienos » (3).

(1) Cf. c. 3, V, 12 in VI, c. 1115.

(2) Cf. *Ibid.*

(3) Cf. c. 3, V, 12 in VI, c. 1116.

SECTIO IV

DE PAUPERATE IN USU RERUM

118. — Vidimus supra Fratres Capuccinos in res temporales tantum simplicem usum facti habere posse. Simplex usus facti quodlibet ius excludit in res temporales, quae cadunt sub voto, non tamen ex se dicit vitae paupertatem, nec repugnat enim ut interdum abundantiae immo et rerum superfluitati consocietur. Ideo interest definire qualiter esse beatum usus facti rerum Fratribus Capuccinis licitus, quia hi absque dubio non solum sine proprio vivere tenentur, sed etiam in paupertate.

CAPUT I

DE USU ARCTO ET MODERATO

119. — Inde a fine saeculi XIII doctores franciscani solent duplarem secernere usum comparate ad statum nostrae paupertatis, nimirum arctum et moderatum; prius autem haec verba, grammaticae diversa, promiscue usurpabant ad rem eandem significandam, scilicet usum pauperem in seraphica Regula fratribus commendatum (1).

Usus arctus qui ab aliis tenuis, exilis, aerumnosus et penurious dicitur, « accipitur pro speciali parcitate seu austерitate in excellenti, et notabili gradu pauperis usus, secundum statum ipsius utentis » (2).

(1) Cf. P. GRATIEN, *Histoire de la fondation*, p. 397-399.

(2) Cf. ANT. DE CORDUBA, *Expositio evangelicae Regulae*, cap. VI, q. XIV, p. 356. Hanc definitionem deinde repetunt nonnulli exposidores capuccini, ut HIERONYMUS POLITIO, *Expositio cum dubiis*, cap. VI, n. 83, p. 529; B. VIECHI, *Disputationes*, disp. V, dub. XI.

Usus vero moderatus accipitur pro quodam usu rerum temperato per virtutem moderationis, attentis debitibus circumstantiis personae status, temporis et cetera huiusmodi. Arctus usus nonnisi valde necessaria pro vitae conservatione praebet; moderatus, in medio virtutis temperantiae consistens, aequa tum ab abundantia, tum a notabili rerum penuria distat.

Exordiente Fratrum Capuccinorum Reformatione, haec vocum significatio mutationi non subest, atque a scriptoribus communi sensu adhibetur (1). Sed quaeritur qualis rerum usus permittatur paupertatis seraphicae professoribus?

Haec quaestio fuerat olim, praesertim saeculo decimo quarto, acerrime agitata; in discussione diversae oppositaeque fuerunt prolatae sententiae, ut innuimus cum agitabamus quaestionem, utrum aliquis rerum usus ad essentiam pertineat nostrae paupertatis (2); sed quia saeculo decimo sexto aderat iam doctrina communiter recepta, quae hodie quoque retinetur, quaestiones historicas praetermittimus.

Eiusmodi doctrina ad haec capita facile reducitur:

Regula Seraphica certe usum arctum in nonnullis praescribit, praesertim in his rebus, scilicet: ut Fratres Minores pluresquam duas tunicas ne habeant, unam cum caputio, alteram sine caputio (3); ut vilibus asperibusque induantur vestibus (4); ut calcaceamenta ne portent (5), ut abstineant ab equitando (6), ut statutis temporibus ieunent (7), ut denarios et pecuniam non recipiant (8). In his omnibus fratres ad usum arctum obligari declaravit Clemens V, his verbis: « Declarando dicimus quod Fratres Minores ex professione sua Regulae specialiter obligantur ad arctos usus seu pauperes, qui in ipsorum Regula continentur, et eo obligationis modo, sub quo continet seu ponit Regula dictos usus » (9).

(1) Cf. B. BRENDULINO, *Expositione*, f. 147r; ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. IV, q. XIV, p. 356.

(2) Vide *supra*, p. 69 sq.

(3) *Regula*, cap. II, *ed. cit.*, p. 65.

(4) *Ibidem*.

(5) *Ibidem*.

(6) *Ibid.*, cap. III, p. 67.

(7) *Ibid.*, cap. III, p. 66.

(8) *Ibid.*, cap. IV, p. 67. Magis veritati est consonum dicere omnem pecuniae usum, etiam arctum, esse nobis prohibitum.

(9) Cf. c. 1, V, 11 in Clem., c. 1199.

Aliarum rerum, quarum arctus usus specialiter a Regula non praescribitur, usus moderatus Fratribus Minoribus conceditur. Ita fuit a Nicolao III declaratum in decretali *Exit*: « quin immo, necessariarum rerum tam ad vitae sustentationem quam ad officiorum sui status exsecutionem, (excepto quod de pecunia infra subiungitur) moderatus usus, sed secundum eorum Regulam et veritatem omnimodam concessus est fratribus » (1). Idem, etsi minus clare, asserere videtur Clemens V, quia dum usum arctum verbis supra citatis ad ea restringit, quae sunt in Regula prae-finita, in reliquis usum moderatum implicite concedit. Determinare autem qualis sit usus moderatus Minoribus licitus non est, ut patentur omnes, res adeo facilis; nam usus moderatio debet aestimari attentis personarum qualitate, temporum varietate, locorum conditionibus et similibus circumstantiis, quae varietate sua resistunt, quominus in hac re regula generalis statui possit (2).

Sententiam vero, an res usui conveniant moderato, neene, Summi Pontifices commiserunt proferendam Ordinis Superioribus, i. e. Ministris, Custodibus et illis, qui ab istis fuerint delegati, quorum iudicio subditi acquiescere possunt et debent (3).

Doctrina generali circa rerum usum, vi Regulae Fratribus Minoribus concessum summatim et qualiter saeculo decimo sexto exponebatur, iam tradita, debemus nunc inquirere qualis fuerit Reformationis nostrae in hac re practica et iuridica norma.

(1) Cf. c. V, 12 in VI, c. 1113.

(2) Cf. c. 3, V, 12 in VI, c. 1114 in fine 1115; et expositores, ut ANT. DE CORDUBA, *op. cit.*, cap. VI, g. XV.

(3) Cf. c. 3, v, 12 in VI, c. 1114.

CAPUT II

CAPUCCINORUM PAUPERTAS IN RERUM USU USQUE AD ANNUM 1536

120. — Certum omnino est Reformationem Fr. Capuccinorum hoc tempore summa custodisse severitate illarum rerum usus arctos, qui sicut supra vidimus in Regula praecipiuntur. Hoc autem clare compertum est apud omnes. Sed dubitatur utrum usque ad annum 1536 Capuccini omnium rerum arctum usum obser-varent praxi et observandum esse mente propugnarent. Huic dubio non potest aptum praeberi responsum, nisi prius agno-scatur id, quod in legislatione Capuccinorum propria constitutum est comparate ad usum rerum, quarum usus arctus in Regula Seraphica non praecipitur. Videamus ergo quidnam legislatio huius primae periodi disponat, et quomodo in vita adimpleatur dispositio.

Art. 1. — PAUPERTAS IN CONVENTIBUS

121. — Constitutiones Albacinae sequentem tradunt normam generalem in conventuum exstructionibus servandam : « Conven-tus, qui exstruendi sunt, quam humiliter fieri poterit aedificentur ex viminibus et luto, vel ex lapidibus et terra, ubi vimina ad manus haberi non possunt (1) ». Quia loca iam exstructa fratribus pro habitatione offerebantur interdum, de eorum receptione statuerant Constitutiones : si aliqua monasteria, iam exstructa, fuerint nobis oblata, nullo pacto recipientur, nisi tum habitationes, tum ecclesiae exiguae fuerint et pauperrimae, iuxta S. P. N. Francisci voluntatem, qui ait : Fratres ecclesias habeant et habitacula paupercula, et quae pro ipsis construuntur, penitus non recipient,

(1) *Const. 1529*, n. 45.

nisi sint sicut decet sanctam paupertatem, quam in Regula firmiter promisimus, semper ibi demorantes sicut advenae et peregrini(1). Superiores antequam huiusmodi loca, iam exstructa, recipient, consilium fratrum, qui zelum habent paupertatis, exquirere tenentur ac sequi (2).

Utraque legalis praescriptio fuit religiosissime observata, adeo ut vitae austeritas illam, quae in allatis Constitutionum verbis relucet, longe superet.

Religionis initii, edocent nos chronographi, conventus more pauperum aedificabantur iuxta terram, seu unam tantum contignationem habebant(3); parietes, si possibile erat, ex viminiibus et luto exstruebantur, aliter ex terra et lapidibus; dormitorii viae erant ita angustissimae, ait Z. Boverius (4), ut vix unum incidentem caperent; ceterae habitationes, ut refectorium, admodum erant exiguae, itemque ex luto et viminibus exstructae (5); fenestellae ac portae breves et arctae. Sed specialem hic mentionem paupertas cellularum promeretur.

Cellulae Capuccinorum, iuxta Constitutiones Albacinae, ita pauperes, humiles et exiguae esse debebant, ut sepulcra potius viderentur, quam cellae(6); illarum supellex erat pariter pauca et pauperrima. Curiosae imagines, statuunt Constitutiones, ne inveniantur in cellis Capuccinorum, sed tantum quid pauperculum, ut imago D. N. I. C. Crucifixi, vel crux ornata mysteriis dominicae passionis, uti lancea, clavis, spongia, vel aliquid simile(7). Cellae item viminibus et luto exstruebantur(8). Non sunt ideo consideranda tanquam hyperbolice prolata verba, quibus Ordinis nostri Annalista Z. Boverius paupertatem describit hac prima periodo in cellularum aedificatione observatam : « Id

(1) Cf. *Testamentum S. Francisci*, ed. cit., p. 80.

(2) *Const. 1529*, n. 47.

(3) « I luoghi si fabricavano con ogni semplicità piccolini e con picciole stanzette intessute di vimini e vil materia, et in quel principio quasi tutti erano fatti a pian terreno ». MARIUS A MERCATO SARACENO, *Relationes*, p. 255. Cf. RUFINO DA SIENA, apud *L'Ital. Franc.*, t. II, p. 26; Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, ann. 1531, p. 149, XIX.

(4) *Annales*, t. I, ann. 1529, 126, LXXXI.

(5) Cf. RUFINO DA SIENA, apud *L'Ital. Franc.*, t. II, p. 26.

(6) *Const. 1529*, n. 45.

(7) *Const. 1529*, n. 46.

(8) Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. I, p. 230, 374; RUFINO DA SIENA, *loc. cit.*

Capuccinis fuit semper sacrum ac legitimum, cellulas nempe in eam brevitatem et angustiam contrahere, ut praeter lectulum solis tabulis stratum nihil caperent, ita ut brachia in alterutram partem extensa universos cellulae parietes, qui vimine texti, vel nudi, vel luto contexti apparebant, manu contingarent. Cellularum fores adeo breves et arctae erant, ut neminem, nisi curvo corpore, nec profunde inclinato intus reciperent (1)». Huiusmodi cellae merito sepulcris comparabantur; nihilominus paupertatis studium erat in priscis illis Capuccinis adeo vehementis, tot tantaque debuerunt initiis ob cellularum defectum incommoda et molestias tolerare, ut crederentur quasi e morte ad vitam suscitati cum se talibus cellis potuerunt recreari (2). Hunc modum conventus exstruendi Ioannes a Fano nuncupat artem fabricandi ad mentem S. Francisci (3).

Conservatur anonyma descriptio, labente saeculo decimo sexto exarata, primaevi conventus loci vulgo Colmonzone, quem monachi Hieronymiani, instante Catharina Cibo Camerinensi ducessa, Fratribus Capuccinis concesserunt, et hi aptarunt, ut ipsis inserviret pro conventu. Talis descriptio oculis nostris illius loci subiicit paupertatem, adeo austerrissimam, ut conveniens visum sit ex textu originali aliqua fragmenta hic referre:

« So' stato a posta per vedere il luogo di Commenzone a Camerino, luogo primissimo di quelli antichi Capuccini, qual poi fu commutato in quello che hora habitano. L'austerità di quel luogo potrà fare a proposito dell'austerità di quelli primi Padri...».

Il refettorio dentro e fuori è incalcinato di sterco di bove, e sopra questo sterco è data una mano di bianco, onde il sterco trasparisce come per un sottile velo, e le celle anch'esse dentro e fuori sono così incalcinate di sterco di bove.

Le fenestre non hanno li calcani, ma di legno, e una tavola che serra la fenestra, vicino al muro, tanto dalla parte di sotto, quanto di sopra è più longa del restante della tavola et aguza, e vi è un foro nel muro sopra e sotto, e quest'aguzzo della tavola entra in quelli fori e così serve per ricalcani.

(1) *Annales*, t. I, ann. 1528, p. 105, XXXII,

(2) Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, lib. III, p. 152; RUFINO DA SIENA, in *L'Ital. Franc.*, t. II, p. 26; Z. BOVERIUS, *Annales*, ad ann. 1528, 103, XXVIII.

(3) « Questi poverelli Capuccini hanno l'arte di fabricare secondo la mente del nostro Padre San Francesco », *Dialogo de la salute*, p. 132.

Le celle e refettorio son di canne e di vimine, solo vi sono i matoni dove si ha da serrare l'uscio, e sono incalcinate con lotto e sterco di bove e calce sopra, ut dixi.

Le porte sono assai basse, più delle ordinarie, et poco più strette, dico le porte del refettorio, celle, choro... La mura glia delle celle e refettorio è di pietra come le nostre, si conosce che ivi era prima quel casamento, ma i frati l'hoveano ridotto in forma di convento nel miglior modo...

La cisterna è fuori del convento, ma per un conduttino di pietra vi facevano andare l'acqua dei tetti del convento, quella è stretta come una fossa di grano e poco più profonda...

Vi è un troculetto di pietra rozzamente incavato, non molto grande, dove lavavano i panni e simili cose: vi sono alcuni trespoli di letto, et un letto con paglia, trespoli e tavoli. Li trespoli son longhi quanto dovea esser longo il letto; ma le tavole si ponevano per il largo, e sono pezzi di tavola longhi un braccio e mezzo, mallamente accomodate perchè come le havevano, le posero e non l'accomodavano con ascia o cetta» (1).

Si mirabilis haec resplendebat paupertas in conventibus, quos iam constructos Capuccini accipiebant, non erat certe inferior illorum paupertas, quos a fundamentis ipsi exstruebant. Primus conventus secundum styli capuccini normas aedificatus fuit ille vulgo Renacavata dictus (1532) prope Camerinum; strictissima erat exornatus paupertate; adhuc hodie hic conventus, ceterique qui asservantur, simplicitatem paupertatemque vere extremas illius primi aevi mirum in modum manifestant (2).

Art. 2. — PAUPERTAS IN ECCLESIIS

122. — Paupertas in ecclesiis et in rebus omnibus ad divinum cultum spectantibus hac periodo observata rigore et austerritate non cedit paupertati conventus et aliarum habitationum quae modo descriptae sunt.

Tam ardentि enim studio altissimam rerum paupertatem ac

(1) Haec descriptio edita est in A.O., 1908, t. XXIV, p. 23-24.

(2) Cf. Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, ann. 1531, 149, XXI; E. D'ALENÇON, *Les premiers couvents des Frères-Mineurs Capucins*, Paris-Couvin, 1912; ID., *De primordiis*, p. 59-62; EMIDIO D'ASCOLI, *I primi conventi dei Frati Minori Cappuccini*, Roma, 1929; GIUSEPPE DA MONTE ROTONDO, *Gli inizi dell'Ordine Cappuccino*, p. 22-23 et 84-85.

egestatem primi Capuccini in omnibus prosequabantur, ut ipsas ecclesias paupertate magis, quam preciositate expeterent decoras (1).

Ecclesiae nostrae, disponunt Costitutions Albacinenses, exiguae sint et pauperes, tamen omnis in illis eluceat mundities (2). Licet haec verba paupertatem sine limitatione praecipient, extrema tamen non patefaciunt, ad quae fratres in eorum adimplitione pervenerunt. Reformationis nostrae initiis, plures ecclesiae fuerunt constructae iuxta mensuram Domus Lauretanae (3); omnia in illis maiorem denunciabant paupertatem: erant angustissimae portae et fenestrae et tota ecclesia adeo exigua, ut vix quinquaginta, vel circiter, viris spatum relinquaret (4); porta ecclesiae conventus Colmonzone fere 60 centimetros latitudinis non excedebat (5) et ipsa ecclesia metiebatur 7 m. 50 longitudinis et 5 m. latitudinis (6); ecclesia loci Renacavata, quae prima fuit e novo a Capuccinis constructa, 10 m. longitudinis et 4 m. 25 latitudinis pariter metiebatur (7). Chorus erat strictus admodum angustiaeque ecclesiae conformis, ille conventus Colmonzone, ait anonyma descriptio supra citata, vix septem personas stantes recipiebat (8), mensurabat enim 3 m. 80 longitudinis et 1. m. 47 latitudinis, ille autem ecclesiae conventus Renacavata 4 m. longitudinis et latitudinis non superabat (9).

Sacrarii partes faciebat quoddam armarium seu capsam in ipso choro saepius collocatum, in quo ecclesiae omnis sacra supellex asservabatur (10).

Ipsa sacra supellex, ut esset ecclesiarum paupertati consona, modicissima erat et pauperrima. « In ecclesiis nostris, ne plus

(1) Cf. Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, ann. 1529, 128, LXXXVI.

(2) *Const. 1529*, n. 45 et 47.

(3) BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 23.

(4) Cf. Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, ann. 1528, 104, XXXI.

(5) De illa dicitur in anonyma descriptione supra allata: «la porta della chiesa è tanto stretta, che una persona corpulenta difficilmente vi entraria». A O., t. XXIV, p. 24. Cf. EDUARD D'ALENÇON, *Les premiers couvents*, p. 8.

(6) E. ALENÇON, *ibid.*

(7) E. ALENÇON, *op. cit.*, p. 12.

(8) Cf. A O., t. XXIV, p. 23.

(9) Cf. E. ALENÇON, *op. cit.*, p. 8 et 12.

(10) In allata descriptione dicitur: « Nel choro vi è una *fenestrella* che si chiude con una tavola a molletta, dove tenevano alcuni paramenti, calice, impolline, che è molto piccola e angusta». A O., t. XXIV, p. 24.

quam duo vel tria habeantur paramenta, unum quidem pro diebus festivis, alia duo pro ferialibus, neque holoserica, serica aut auro sint texta, vel alia quavis curiositate exornata, his tamen uti poterit si in aliquo loco, nobis concessso, invenirentur; singulari modo interdicuntur fimbriae et crucees tam in casulis quam in albis et palliis » (1).

« Altarium pallia sint simplicia absque curiositate aliqua et ex panno confecta. Diligenter procuretur, ut ne plures quam duo calices stannei, si possibile est, habeantur in ecclesiis nostris, a quibus debent omnis prorsus curiositas, superfluitas ac pretiositas auri, argenti, serici, holoserici exsulare, et in quibus paupertas et austeras debent elucere, ad hoc autem fratres considerent, quod Deus non vasa aut manus, sed corda intuetur, si pura atque ab omni vitiorum labe munda sint, et sanctae paupertatis studio ac desiderio affecta (2) ».

Reliqua sacra supellex, de qua nihil expresse in Constitutis decernitur, qualis fuerit, chronographi minutatim significant. Matthias Salodiensis totam supellectilem descripsit verbis, quae incredibilia fere aestimarentur, nisi illorum veritatem ceteri chronographi unanimi consensu confirmarent: « Una semplice cassetta di bianche tavole era il tabernacolo del SS. Sacramento; la custodia, una scatola foderata di corporale; i calici e le patene di stagno; le tovaglie, di grossolino; i pallii, stuore; i paramenti, di panno semplice, o tela; il turribolo, una scodella appesa a semplici cordelle, o che il sacerdote teneva in mano; la navicella, una scatola di legna o di cartone; i candelieri, un pezzo di legno, fatto da loro medesimi, o un pezzetto di asse, con un chiodo, che haveva la punta in alto; l'ancona, una semplice figura di carta stampata grossamente, et una croce di legno poco polita; ma il tutto però con gran nettezza » (3).

Unicum ergo ecclesiarum Fratrum Capuccinorum ornamen-

(1) *Const. 1529*, n. 56.

(2) *Const. 1529*, n. 57.

(3) *Historia Capuccina*, t. I, p. 145. Cf. GIOVANNI DA FANO, *Dialogo de la salute*, p. 132; BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *loc. cit.*, p. 165. « In quei primi tempi nelle loro sacrarie (parlando dei nostri frati) secondo che dichiara Clemente quinto qnivi erano le cose pertinenti al divino culto *poche e semplici, ma monde, candide, sottili e delicatissime* ». MARIUS A MERCATO SARACENO, *Relationes*, p. 261; Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, ann. 1529, p. 126, LXXX, p. 128, LXXXVI.

tum paupertas erat cum summa rerum munditia ac nitore coniuncta.

Ex dictis tamen prisci illi Capuccini non sunt considerandi tanquam fanatico paupertatis cultui dediti, quia ipsi revera aliarum ecclesiarum uberiorem ac pretiosiorem supellectilem non minus legitimam, quam propriarum paupertatem, aestimabant; potius praedicto modo paupertatem in ecclesiis et rebus omnibus colunt, quia a S. Fundatore didicerant paupertatem, statui Minorum maxime convenientem, debere etiam in rebus sacris emicare, et a Clemente V, Regulam Seraphicam declarante, satius esse sacerdotes aureos, quam calices sive argenteos, sive aureos sibi vindicare (1).

Art. 3. — PAUPERTAS IN VICTU ET ALIIS REBUS

123. — Conventuum et ecclesiarum descripta paupertas, licet ita arcta, non transcendit certe eam, quae comparate ad usum ciborum, potus et rerum huiusmodi, ad humanum victum pertinendum, fuit hoc tempore praecepta et observata in Reformatione Capuccina.

De victu Constitutiones Albacinae haec statuunt: Fratribus in mensa unicus tantum cibus aut pulmenti genus apponatur, cui tempore ieunii addi poterit coctum aut crudum acetarium; circa ciborum qualitatem conceditur tamen, quod si pisces vel aliud obsonium fratribus fuerit eleemosyna datum, eo opportune vesci poterunt, dummodo ad hoc semper animadvertant i. e. quod duo tantum cibariorum genera ex his, quae a popinae magistro administrantur, apponantur mensae (2).

Usum vini in mensa Constitutiones permittunt; sed, ut non nisi bene aqua dilutus adhibeatur, pariter praecipiunt (3). Mensae non debebant mantilibus sterni; una tantum mappula singulis concedebatur fratribus (4).

De hac re praceptiones alias in Constitutionibus non comprehendimus, sed non desunt consilia: « Si quis fratrum a carnis et a vino voluerit abstinere, ad quod omnes hortamur, eos

(1) Cf. Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, ann. 1529, p. 128, LXXXVIII.

(2) *Const. 1529*, n. 12.

(3) *Const. 1529*, n. 13.

(4) *Const 1529*, n. 11.

superiores impedire non valeant, nisi ipsos indiscrete se gerere, aut tale abstinentiae genus aperte in eorum malum cedere animadverterint (1). Eodem quoque modo si fratrum quispiam aut amplius ieunare, aut quadragesimale ieunium in Regula non expressum celebrare voluerit, a superioribus non impediatur, dummodo id illi minime noceat (2).

124. — Etiam hic Ordinis praxis austerritate longe superat ipsis Constitutionum praexceptis et magis asperioribus accommodatur concessionibus supra prolatis.

Copiosa huius veritatis exstant apud chronographos testimonia. Maior religiosorum pars, ait Bernardinus a Colpetrazzo, qui primaeva illa tempora vixit, septem quadragesimas a Seraphico Patre fieri solitas observabat; plerique immo continuo ieunabant, ita ut semel tantum in die cibum caperent (3); illi vero, qui vespere aliquid gustare volebant, e cestula panis frustula, quae prandio superfuerant, sibi in coenam assumebant (4). Quoad ciborum qualitatem: cibi in Capuccinorum mensis communiter adhibiti panis, legumina, herbae, fructus erant et non alia (5), eaque vel emendicabant ostiatim, vel agri perquirebant, praecipue Reformationis initio cum etiam hortulis carebant (6). Caro, dummodo lauta non esset, recipi poterat, si offerebatur fratribus, tamen extra festivitatem paschatis et bacchanalia (carnevali) raro accipiebatur, illam enim, iuxta dictum Bernardini a Colpetrazzo tanquam quemdam aufugiebant serpentem primi illi fratres et tam raro ac tali parcitate ea utebantur, ut fama ubique percrebresceret Capuccinos a carnis abstinere (7).

(1) *Const. 1529*, n. 13.

(2) *Const. 1529*, n. 14.

(3) Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 18.

(4) Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *loc. cit.*, p. 155; RUFINO DA SIENA, apud *L'Ital. Franc.*, t. II, p. 107; Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, ann. 1529, p. 127, LXXXIV.

(5) « Soddisfacevano (Capuccini) alle loro necessità con herbe e legumi e frutta... E gran parte di loro non mangiavano di cotto, ma herbe crude e frutta, e la miglior minestra, che si facesse in quei tempi, era il pan cotto, del cavolo e delle fave, che più andava per la mensa ». BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *loc. cit.*, p. 19; MARIUS A MERCATO SARACENO, *Relationes*, p. 263.

(6) Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *ibid.*, p. 18-19, 154.

(7) Cf. *Ibid.* « In quanto al mangiare della carne così usavano, quando veniva data loro (non però de polli, lepri., uccellami e simili) ne prendevano, venendo siniplicemente per l'amor di Dio, senza procacciarrla in modo veruno, et

Quidquid de usu carnis modo diximus, casei usui applicatur (1); oleo in minima utebantur quantitate, et fere unice pro condientis acetariis (2); sartagines et eraticulas nolebant in conventibus recipere, ut ne frictum, nec torrefactum aliquid vesci potuissent, quod pauperum aestimabant impropprium (3); alias cibos plus minusve delicatos pro infirmis tantum emendicabant vel accipiebant (4); ab usu vini nonnulli penitus abstinebant, ceteri vero ita vinum intingebant aqua, ut potus inde proveniens potius appellari meruerit, ait Marius, *acqua avinata, che vino adacquato* » (5).

Patinae ac paropsides ligneae erant vel testaceae (6); in reliquis tandem ad humanum victum pertinentibus, similis splendebat paupertas.

125. — Ex aliis rebus austertas et lectuli paupertas specialem luc mentionem promerentur. « Fratres, qui nulla corporis imbecillitate, aut infirmitate laborant, vel super nudas tabulas, vel super iis storea, aut palea tantum adhibita, absque culcitra stramentitia dormiant, et, qui voluerint, pulvinari stramentitio sub capite utantur » (7).

Haec paupertas mirabilis fideliter ab omnibus asservabatur,

anco la pigliavano di raro e poca, acciò con tal cibo non fusse offesa la povertà loro ». MARIUS A MERCATO SARACENO, *Relationes*, p. 263; RUFINO DA SIENA, in *L'Ital. Franc.*, t. II, p. 27, 107; Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, ann. 1529, p. 127, LXXXIII.

(1) « Il casecio sopra i loro cibi non mai si vedeva, se non fusse stato negli anni solenni delle pasque o d'altre feste principali dell'anno ». MARIUS A MERCATO SARACENO, *op. cit.*, p. 263.

(2) Cf. *Ibidem*: « e poco oglio bastava loro, talche un vaso ben picciolo se ne andava innanzi che fusse finito qualche mese ».

(3) Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *loc. cit.*, p. 20; Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, ann. 1529, p. 127, LXXXIV.

(4) « Cibi preciosi non solo erano lontani delle man loro, ma etiandio da i luoghi, perciochè (eccetto per gli infermi) non mai se riceveva ». MARIUS A MERCATO SARACENO, *loc. cit.*

(5) Ipse Marius ait: « Cirea al bere del vino erano astinentissimi, onde l'adacquavano in guisa che dir si poteva più tosto acqua avinata, che vino adacquato; e quantunque il facessero tutto acqua, nondimento vicino al vaso di quel vino ponevano un altro vaso di purissima acqua, acciò colui che volesse più inacquarlo overo volesse bere la sola acqua il potesse fare ». *Ibid.*, p. 263. Cf. Z. BOVERIUS, *loc. cit.*, ann. 1529, 127, LXXXIII. Austeriorem adhuc vivendi modum observabant Fratres Capuccini in Calabria. Vide MARIUS A MERCATO SARACENO, *op. cit.*, p. 370.

(6) Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, ann. 1529, p. LXXXIV.

(7) *Const. 1529*, n. 48.

nec erant pauci, ut testantur chronographi, qui ulterius progre-diebantur, nam vel humi iacebant, vel ligni segmento pulvini loco utebantur, neque telas, sed storeas tantum super paleam collocabant (1).

Omnis denique domorum Capuccinorum supellex, « tenuis debebat et vilis esse, ita ut in omni re ad nostrum usum pau-citas, vilitas, ac paupertas cumprimis effulgerent » (2). Primorum conventuum paupertatem generali modo adumbrans Bernardinus a Colpetrazzo miram hanc fecit, et ferme incredibilem, attesta-tionem dicens: « omnis domorum supellex prisco illo tempore, si religiosorum habitus exciperentur, dimidii scuti non attingebat valorem » (3).

126. — Textus legales atque unanime circa Capuccinorum vitae genus chronographorum testimonium certe demonstrare videntur nostram Reformationem prima suae legalis existentiae periodo decurrente, observasse vitae praxi usum arctum om-nium rerum. Praetermittimus tanquam non necessaria, licet ean-dem veritatem roborent, alia testimonia, etiam pontificia, iuxta quae Capuccinis concedabatur Regulam Seraphicam « in quan-tum humana patitur fragilitas observare » (4), vel ubi eorum vita « admodum austera dicitur et rigida ac fere non humana » (5), vel « extrema, irrationalis, et hominum quasi desperatorum, quae diu trahi non possit » (6).

Altera tamen quaestio, i. e. utrum Fratres Capuccini ad

(1) « Nel dormire ancora tenevano ansterità maravigliosa, di modo che ec-eetto molto vecchi et infermi, tutti dormivano sopra le nude tavole, e molti al capo tenevano per capezzale un legno, e l'inverno alcuni mettevano sopra le ta-vole una stoia nè si vedeva in tutta la congregazione dormire se non così ». RUFINO DA SIENA, in *L'Ital. Franc.*, t. II, p. 416; BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, d. 23, 162; MARIUS A MERCATO SARACENO, *Relationes*, p. 255.

(2) *Const. 1529*, n. 15, 22, 24, 28.

(3) « Non ci era tanto in quei luoghetti, fuor degl'habbiti, che lor portavano, grossi, et tatti rappezzati, che valessa mezzo scudo ». *Op. cit.*, lib. I, p. 248, 256, sq., 369.

(4) Cfr. BC, t. I, p. 1, 3, 18.

(5) Cfr. CLEMENS VII, *Pastoralis officii* (15 april. 1534), apud EDUARD. ALENCON., *De primordiis*, p. 116.

(6) His verbis iuxta Ioannem de Terranova non panoi Capuccinorum vivendi rationem vituperabunt. Cfr. AO, t. XXIII, p. 216; BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 157.

usum arctum in rebus omnibus aestimarent se ipsos vi Regulae obligatos, non debet eo ipso iam soluta declarari; e sola enim Capuccinorum vitae praxi non licet inferri, quod ipsi iuris vinculum sive moralem obligationem agnoscant ad id faciendum, quod vita exsequuntur; nam, ut alibi innuimus, studio seraphicae perfectionis acquirendae compulsi saepe legis limites transgrediuntur in vita, quamvis verae obligationis defectum et ipsi cognoscant; Bernardinus a Colpetrazzo, ocularis testis primi Reformationis temporis, de hoc monitos nos voluit, ait enim: « quei primi Padri si risolsero di osservare perfetissimamente la Regola, non rimirando più ai precetti che ai consigli; ma di osservarla tutta, i precetti però come precetti, e i consigli come consigli; tutti osservarli per amore, parendo loro che fosse il timone di tutto il reggimento e di ogni osservanza di Regola, il fare ogni cosa per amore » (1). Et alibi: « Perchè erano tanto lontani dalle pecunie, e dalle cose, che sono contro la povertà, che osservavano più di quello che la Regola comandava (2).

Bernardinus a Colpetrazzo proprio nomine praedictas fecit animadversiones, verum alibi manifestare non omisit, quomodo Bernardinus Astensis, ter Vicarius Generalis iureque appellatus Reformationis nostrae « currus et auriga », eamdem fecisset animadversionem Capitulo generali anni 1552, cum proposuit aliqualem primaevi rigoris mitigationem et suasit, dicens: « Dunque ora noi siamo venuti tanto innanzi, quanto si può venire...; ora noi stiamo in su quel che la Regola ci concede, che prima si faceva più che la Regola non comanda » (3).

Hisce de causis asserere non audemus eam fuisse hoc tempore in Ordine receptam sententiam, quae usum arctum in omnibus affirmabat Fratribus Minoribus vi Regulae obligatorium; contrarium potius videtur probabilius. Nam vitae praxis, ut dictum est, moralem obligationem non supponit necessario; textus equidem Constitutionum usum aretum in omnibus praecipere videtur, scimus tamen Constitutiones, non solum ea quae ad ius (ad votum paupertatis) pertinent, verum et quae ad perfectionem (ad virtutem paupertatis) attinent saepe iniungere, et in his quae supra Regulam praecipiunt, sunt leges mere poe-

(1) *Op. cit.*, lib. III, p. 7.

(2) *Ibid.*, p. 8.

(3) *Ibid.*, p. 9.

nales. Insuper periodo sequenti, ut mox videbimus, sententia, quae arctitudinem usus in omnibus servandam propugnaverat, certe non recipitur in Reformatione nostra, nihilominus paupertas in vita relucens et adhuc in Constitutionibus ordinata paululum ab illa primae periodi discrepat. Hisce de causis contrarium diximus probabilius, licet verius debeat fateri praesentem quaestionem sub aspectu speculativo nec propositam fuisse hoc tempore, nec solutam, quia altissimae paupertatis amorem et studium tam alte sibi in animo prisci illi Patres reposuerant, ut haec similesque quaestiones inutiles pro illis evaderent, vel saltem non necessariae, nam quidquid Regulae puriori observantiae et Evangelio aestimabatur magis conformis ad litteram observabatur fidelissime, unde declaraciones Regulae, privilegia, aliaeque quaestiones, omnia ista de facto primis Capuccinis erant saltem non necessariae (1).

(1) « Bastava loro che S. Francesco l'havesse posto nella Regola, o che fosse secondo la forma del Santo Evangelio di Gesù Christo. Et questo gli innalzò a tanta libertà di spirito che transcedettero, con la vera observanza della Regola, ogni scropolo; nè havevano bisogno delle dichiarazioni della Regola, nè di molte questioni, nè di privilegi, perchè come semplicemente la lettera suona, così semplicemente l'osservavano ». BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 7.

CAPUT III

CAPUCCINORUM PAUPERTAS IN RERUM USU AB AN. 1536 USQUE AD AN. 1638

Art. 1. — CERTA ORDINIS NORMA DOCTRINALIS

127. — Doctrinalis Fratrum Capuccinorum norma in quaestione, de qua vertitur sermo, nempe, qualis sit usus rerum Regulae Seraphicae professoribus licitus, indefinita minusque clara, ut vidimus, ante an. 1536 appareret; tamen ab anno 1536 certa fit ac plene definita. Receptio in legislatione pontificiarum Regulae declarationum certae et definitae huius positionis signavit initium. Inxta authenticas Regulae declarationes Nicolai III et Clementis V, quae primum in Constitutionibus anni 1536 acceptantur tanquam « unicum et vivum Regulae commentarium » (1), Fratres Capuccini usus arctos observare debent, qui in Regula continentur, et eo obligationis modo, sub quo in ipsa ponuntur ; aliarum vero rerum, quibus ad vitae sustentationem et officiorum sui status executionem indigent, licet ipsis usum habere moderatum (2). Itaque in Reformatione nostra integre recipitur doctrina, quam in articulo primo capituli secundi huius sectionis summatim exponebamus, et saeculo decimo sexto evaserat iam inter doctores franciscales communis, quam expositores quoque capuccini tum saeculi decimi sexti, tum decimi septimi unanimiter tradunt ac propugnant (3).

Quonam autem modo haec doctrinalis norma primae periodi extremam afficeret paupertatem, videbimus statim Constitutio-

(1) Cf. *Const. 1536*, n. 5.

(2) Cf. c. 3, V. I 11 in VI^o. c. 1113 et. c. 1, V, 11 in Clem. c. 1199.

(3) Cf. SILVESTRO D'ASSISI, *Dichiaratione*, f. 192v-193r; HIERONYMUS A POLITIO, *op. cit.*, cap. VI, n. 86, p. 535, 88, p. 538; B. VIOCCHI, *op. cit.*, disp. V, dub. XI; LOUIS DE PARIS, *Exposition littérale*, cap. IV, p. 257.

num textus circa rerum usum recensentes ac comparantes. Profecto certum est, quod primus Religionis rigor, qui indubie ad excessum vergebatur, huius primi saeculi decursu non nihil temperatur, et ad discretam ac mediocrem quamdam vivendi formam revocatur. Constitutiones anni 1536, Vicarius Generalis Bernardinus Astensis, atque Constitutionum recognitiones subsequentes iuxta S. Patris ac discretionis regulam, ut ait optime Ordinis Annalista, nostrae paupertati modum statuerunt, quo regularis ipsius observantia diu stare, et hominum vita, rerum necessiarium praesidio superstes, ac incolumis esse posset (1). Moderatio tamen in pluribus nulla fuit, in aliquibus vero exstitit, sed satis exigua, ut ex modo dicendis luculenter apparebit.

Art. 2. — PAUPERTAS IN CONVENTIBUS

128. — Clemens V in decretali *Exivi* Fratribus Minoribus praeceperat ut « ubique temperatis et humilibus aedificiis essent contenti » (2); ideo Capuccini iuridice ad usum arctum in conventuum exstructionibus non obligantur, sed ad moderatum.

Temperantia et locorum nostrorum humilitas minutatim in Constitutionibus an. 1536 praefiniuntur, ut omnia in Reformatione nostra ordinato modo fierent et secundum promissam Deo paupertatem.

Constitutiones enim an. 1536, postquam in ascetica praelocatione fratres hortantur inter alia, ne dent oblivioni, quod maximum debet intercedere discriminem inter ingentia divitum palatia et pauperum mendicantium, peregrinorum et poenitentium tuguria, praecipiunt, ut nullo modo loca a fratribus vel ab aliis exstructa Capuccini recipiant, nec aedificant, nisi sanctissimae paupertati sint conformia (3). Huius conformitatis iudicium neque Superioribus plene confiditur, sed ipsum Capitulum generale conventus Capuccinorum exemplar confecit, inseruitque Constitutionum textu iniungendo, ut sequentes aedificationes illi, tanquam exemplari statui nostrae paupertatis consentaneo, omnino conformarentur; exemplar ideo confectum praeceptive propone-

(1) Cf. Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, ann. 1529, p. 129, XCI; ann. 1537, p. 236, V.

(2) Cf. c. 1, V, 11 in Clem., c. 1198.

(3) *Const. 1536*, n. 73.

batur imitandum, non tantum directive (1). Iuxta illud, Capucinorum cellae longitudine et latitudine novem palmos non poterant excedere, altitudine vero decem (2); cellularum portae altitudine septem, latitudine duos palmos cum dimidio habere debebant; fenestrae altitudine duos palmos cum dimidio, latitudine unum cum dimidio poterant obtinere: dormitorii ambulacro non conceditur plus quam sex palmorum latitudo; simili modo ceterae officinae sint parvae, humiles, pauperes, abiectae, ac demissae, ita ut omnia in locis nostris paupertatem, humilitatem, mundique contemptum praeseferant (3).

Praefatum modum in aedificationibus servandum, propositumque conventus capuccini typum immutatum prorsus sequentes Constitutiones retinuerunt (4), vel magis perfecerunt alias particularitates praefinientes, ut fit in Constitutionibus an. 1575, in quibus statuitur, ut refectorii altitudo a plano usque ad tabulatum tredecim palmos ne excedat, et, si aer fuerit admodum insalubris, possit ad quattordicim elevari (5).

Si bene perpendatur quod palmi mensura tantum viginti sex aequabat centimetra, haud difficulter animo concipiuntur locorum angustia et demissio summae hic a Constitutionibus praceptae.

Haec forma construendi, ut iam supra dictum est, vere obligatoria erat, nec sine speciali causa praetermitti poterat (6). Vicarius Generalis Paulus a Caesena in Capitulo generali anni 1613

(1) « Perho, a questo fine (i. e. ut ad normam sanctissimae paupertatis aedificetur) si è facto un piccolo modello, secondo il quale si fabbricava ». *Const. 1536*, n. 74.

(2) Mensura hic adhibita, videlicet palmus, quae abiit hodie in desuetudinem, communis adhuc erat primo saeculi praeteriti dimidio in diversis Italiae provinciis, antequam sistema decimalis, ut dicitur, introduceretur. Cf. EDUARDUS ALENCONIENSIS, *Primigeniae legislationis textus*, annot. 23, 2, p. 92. Ipsae Constitutiones satis indicant palmi longitudem non eamdem esse in omnibus Italiae regionibus; ad unitatem obtinendam mensura palmi in Ordine servanda in fine antiquarum Constitutionum ponebatur. Legitur enim in Constitutionibus anni 1575: « Et perchè i palmi non sono tutti di una medesima misura; però si è posto in fine del libro la misura del mezzo palmo, secondo la quale si misureranno tanto dette fabrieche, come anco i vestimenti nostri ». *Le prime Costituzioni*, p. 64. Posita mensura aequabat pro media palmi parte centimetra tredecim.

(3) *Const. 1536*, n. 74.

(4) *Const. 1552*, n. 74, permittunt, ut cellarum portae octo palmos habeant; *Const. vero 1575* n. 64, ad veterem mensuram redierunt.

(5) *Const. 1575*, n. 64; *Const. 1608*, p. 31.

(6) *Const. 1552*, n. 75; *Const. 1575*, p. 65.

in memoriam omnium revocat, quod in aedificationibus obser-vetur mensura palmi statuta, et ne fiat excessus ullus in fabricis nec omittatur forma in Constitutionibus praescripta sub poena privationis vocis activae et passivae et aliarum ad suum arbitrium (1).

Usque ad annum 1575 in legislatione adhortantur fratres, ut ex viminibus, luto, arundinibus contendant ea exstruere; quae possint talibus exstruere materiis (2); ab anno tamen 1575 haec verba a textu Constitutionum adimuntur.

Primaeva tamen praxis in conventum aedificationibus ser-vata, hac periodo decurrente, aliquantulum immutatur; conventus enim non amplius aedificantur iuxta terram (a pian terreno), sed unam habent communiter contignationem. Neque facile reputamus tempus stabilire, quo nova praxis fuerit in Reformationem nostram inducta, sed potest tanquam certum asseri, quod fuit ante annum 1575, nam Constitutiones hoc anno recognitae innovationem esse iam inductam supponunt (3). Haec innovatio, ut chronographus Marius a Mercato Saraceno fatetur, inducta est de communi fratrum consensu, illis non exclusis, qui maiori austoritatis studio et paupertatis amore flagrabant, nam neces-sitas tantum ad innovationem coegit, non animorum remissio; conventus equidem iuxta terram constructi ob varias causas, praesertim ob humiditatem, erant admodum insalubres et prioribus annis pluribus fratribus infirmitates mortemque proce-runt; hac sola de causa nova praxis fuit introducta (4). Loci quoque nostri hac periodo ampliores, quam illi primitivi, ex-struuntur, non tamen sine causa. Huius primi saeculi decursu vere ingens hominum multitudo agmini capuccino adscribitur, adeo ut Familia nostra, quae anno 1550, 2.500 fratribus con-stabat, anno 1633 numerum 18.948 pertingeret (5), ideo fuit

(1) *Cap. Gen. XXII* (1613), AO, t. V, p. 283.

(2) Cf. *Const. 1536*, n. 75; *Const. 1502*, n. 75.

(3) Cf. *Const. 1575*, p. 64. Si verba considerantur Matthiae Salodiensis (*op. cit.*, t. II, p. 117) et Claudi Bituricensis (*op. cit.*, p. 60) videretur asserendum innovationem ante 1552 non fuisse introductam.

(4) «In quel principio quasi tutti (i Inogni) erano fatti a pian terreno; ma poi avvedendosi i frati che a fabbricarli a quella foggia era cagione di molte infermità per l'humidezza et altre cattive qualità, che tenevano, furono di parere (etiamdio di quei primi et stimolati frati) che si fabbricasse in alto a solaro». MARIUS A MERCATO SARACENO, *Relationes*, p. 255.

(5) Cf. AO, t. VI, p. 136 et *Liber Memorialis*, p. 332.

necessarium cellularum numerus in conventibus multiplicari, ex quo loci nostri ampliores, quam primi, apparent; mensura tamen in Constitutionibus pro cellulis praescripta constanti servatur fide, ita ut cellulae numero adaugerentur, non autem magnitudine; tantum modo ampliori nonnulla cubicula, infirmis destinata, aedificantur, parum tamen, ut innuit ipse P. Marius (1) et colligitur ex verbis Capituli generalis vigesimi octavi, in quo determinatur quod infirmorum cubicula ordinarie longitudinem palmorum duodecim ne excedant (2).

Cellularum et aliarum habitationum muri lateritii et gypso illiniti pariter permittuntur (3), tanta nihilominus erant austerritate et paupertate decorati, ut quaelibet eorum dealbatio fuerit interdicta (4). In reliquis conventus partibus similis eminebat paupertas.

Ex modo dietis duae praecipuae veritates consequuntur:

1^a. Comparatione cum prima periodo instituta, levissima ac ferme nulla apparet in iuris fontibus moderatio introducta circa conventuum aedificationes; huius periodi legales preeceptiones magis definitae sunt, non tamen magis temperatae.

2^a. Ex supra dictis quoque elucet, quomodo Fratres Capuccini aestimarent, seu in quonam per totum hoc tempus usum moderatum reponerent sibi, iuxta declarationes pontificias, in constructionibus permissum.

Art. 3. — PAUPERTAS IN ECCLESIIS

129. — Cum ecclesiae domus Dei sint, et non fratrum habitationes, plura absque dubio permittuntur in ipsis, quae fratribus concessa minime probarentur; attamen etiam in ecclesiis capuccinis et in rebus ad divinum cultum consecratis seraphica debet paupertas emicare.

Constitutiones an. 1536, vestigia prementes statutorum Albacinae, decernunt quod Capuccinorum ecclesiae parvae sint et pauperes, sed decentes, nec eas, quo magis commode praedident, fratres velint amplas habere, cum iuxta Seraphicum Pa-

(1) MARIUS A MERCATO SARACENO, *loc. cit.*

(2) *Cap. Gen. XXVIII* (1618), AO, t. V, p. 301.

(3) MARIUS A MERCATO SARACENO, *op. cit.*, p. 255-256.

(4) *Cap. Gen. XXVIII* (1618), AO, t. V, 301,

trem, meliori simus exemplo in alienis ecclesiis praedicando, quam in nostris, maxime si ob hanc causam sancta violatur paupertas (1). Generalis haec norma observanda proponitur a legislatione nostra toto hoc primo saeculo (2).

Extra ambitum studii iuridici vagaretur quis inquirendo, an et qualiter praecitata ordinatio legalis fuerit hac periodo adimpta; tamen nolumus silentio praeterire, quomodo nonnulla documenta clare ostendant Capuccinos obstantes ecclesiarum receptioni, pro ipsis magno opere et sumptu extuctarum, « quia latius, quam aliae eorum ecclesiae soleant exstrui, exstructae et ornatae exsistant » (3). Verum quoque est, ut testatur P. Marius, maximam priscarum ecclesiarum angustiam in nonnullis exstructionibus non amplius observari, quia, crescente populorum erga Capuccinos devotione, accrescit quoque accessio ad eorum ecclesias; unde, ut extrema illa ecclesiarum angustia devotioni populorum ne preeberet impedimentum, aliquae fiunt, vel recipiuntur iam exstructae aliquantulum ampliores, non tamen adeo, ut statui nostro promissaeque paupertati viderentur contrariae, quia licet ampliores essent, eadem relucebant paupertate (4).

Circa ecclesiarum sacrarium legislatio praecipit: in locis nostris aliud ne habeatur sacrarium nisi armarium, vel capsula forte clavis munita, quam semper secum deferre tenetur frater professus. In hac capsula reponebantur res ad cultum divinum necessariae (5). Ab anno tamen 1608 non amplius iniungitur, ut sacrarium sit ad quoddam armarium restrictum (6); concedunt quoque Constitutiones, ut in nostris ecclesiis sit campana una eaque parva, pondere septuaginta circiter chilogrammatum (7).

Nihil tamen ecclesiarum melius detegit paupertatem, quam ipsa sacrae supellectilis paupertas.

Fratres Minores in supellectili sacra ad usum moderatum obligari, declaravit Clemens V: « Quamvis etiam paramenta et

(1) *Const. 1536*, n. 74.

(2) *Const. 1552*, n. 74; *Const. 1575*, p. 64-65; *Const. 1608*, p. 30.

(3) Cf. BC, t. IV, p. 32.

(4) Cf. *Relationes*, p. 265-261.

(5) Cf. *Const. 1536*, n. 140; *Const. 1552*, n. 140; *Const. 1575*, p. 94.

(6) *Const. 1608*, p. 30.

(7) *Const. 1536*, n. 140; *Const. 1552*, n. 140; praeceperant, ut minus adhuc esset campanae pondus; sed posteriores redeunt ad ordinationem anni 1536. Ita *Const. 1575*, p. 24,

vasa ecclesiastica ad honorem divini nominis ordinentur, propter quem omnia fecit ipse Deus: tamen qui absconditorum est cognitor, animum ministrantium respicit principaliter, non ad manum, nec per illas sibi vult serviri, quae suorum servitorum conditioni et statui dissonarent: propter quod sufficere debent eis vasa et paramenta ecclesiastica decentia, in numero et magnitudine sufficientia competenter. Superfluitas autem, aut nimia pretiositas, vel quaecumque curiositas in his seu aliis quibuscumque non potest ipsorum professioni vel statui convenire » (1).

Ex clementina declaratione sequitur, ut appareat, Regulae seraphicae non adversari vasa sacra et paramenta habere quoad numerum et pretiositatem usum moderatum non excedentia. Sed videndum est qualiter legislatio nostra dispositionem Clementis V practice interpretetur.

Legislatio Fratrum Capuccinorum praetridentina est postridentina rigidior. Iuxta Constitutiones anni 1536 in Capuccinorum ecclesiis duo tantum calices haberri poterant, stanneus unus, alter vero cum argentea cuppa (2); calices tamen stannei non parum purificatoria inquinabant; hac de causa, et quia fratres conscientiae stimulis vexabantur, quod Sanctissimum Sacramentum forsan debita reverentia sic non tractaretur (3), fuit in Constitutionibus an. 1552 recognitis statutum, ut communiter duo calices parvi cum cuppa tamen argentea haberentur in locis (4).

Paramenta sacra tria, non plus, conceduntur, in quibus, sicuti in aliis ornamentis ad cultum divinum spectantibus, nihil pretiosum, nominatim nihil ex auro, argento, serico, aut alia quavis curiositate confectum poterat adhiberi; praecipit nihilominus ut omnia, praesertim paramenta sacerdotalia, nitida sint; corporalia atque purificatoria mundissima et candidissima; insuper, altarium pallia ex panno dumtaxat, non pretioso, confici debeant; candelabra ex ligno torno elaborato; in missaliibus aliisque libris curiosa sive pretiosa ne indulgentur signacula, sed libri omnes magna simplicitate colligari oportebat (5).

(1) c. I, V, 11 in Clem., c. 1198.

(2) *Const. 1536*, n. 140.

(3) Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 24, 165, 176.

(4) *Const. 1552*, n. 130.

(5) *Const. 1536*, n. 140; *Const. 1552*, n. 140. «E nel nostro luogo di Roma

130. — Relata hic legalis paupertas post sacrum Tridenti Concilium non nihil temperatur. Sane Constitutiones an. 1575 paramentorum et calicum numerum non amplius praefiniunt, sed ut iuxta locorum necessitatem habeantur expresse permittunt; ipsaem Constitutiones imperant, ut patenae bene inaurentur, res vere miranda, nam hucusque capuccina legislatio nihil aureum in nostris ecclesiis tolerabat; non amplius praecipitur, ut altarium pallia ex panno conficiantur (1); insuper, quamvis ex fontibus iuris non appareat, nobis constat ex chronographorum testimoniiis, quod post Concilium Tridentinum tum aurum, tum serici panni in ecclesiis nostris adhibentur pro tabernaculo exornando et pro calicibus cooperiendis; ecclesiae etiam imaginibus ornantur notabilis pretii, atque ipsum tabernaculum picturis decoratur (2).

Veras huius mitigationis causas ipsi quoque chronographi nobis patefaciunt. Mitigatio introducta fuit, « a buon fine, per conto delle heresie » (3); « per esser noi ubidienti alli saeri canoni e santissimi ordini (Tridentini Concilii), e mostrareci (come in verità noi siamo) veri et zelanti figliuoli della Santa Romana Chiesa » (4).

Verba allata satis indicare videntur Reformationem nostram observatam ab initiis in sacra supellectili paupertatem aliquantulum post Concilium Tridentinum temperasse, praesertim ut votis praecepsisque Concilii circa cultum, ac venerationem debitam Sanctissimae Eucharistiae Sacramento obtemperaret, expressis in illo dogmatico decreto, quo catholica doctrina contra nova-

durdò parecchi anni che il pallio dell'altare era una stuoia ». BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 25. Reformatio nostra, tanquam Regulae relativa atque incompatibilia cum declaratione clementina, respuit privilegia nonnulla a Sixto IV et Leone X Fratribus Minoribus concessa, quorum vi ad cultus magnificentiam poterant magnifica ornamenta possidere. Cf. A. CASARUBIOS, *op. cit.*, v. « ornamenta », p. 285 286; B. VECCHI, *op. cit.*, disp. V, dub. XVII.

(1) *Const. 1575*, p. 94. Subsequens legislatio huiusmodi materiam simili modo ordinat. Cf. *Const. 1608*, c. c. p. 30-31. Capitulum generale an. 1613 Romae habitum insistit: patenae omnes sint ex argento, vel si ex enpro, sint bene inauratae. A O, t. V, p. 280.

(2) Cf. MARIUS A MERCATO SARACENO, *Relationes*, p. 262.; BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 24.

(3) BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *loc. cit.*, p. 25.

(4) MARIUS A MERCATO SARACENO, *loc. cit.*

torum placita firmatur (1); Capuccini ideo tali innovatione contendunt, et propriae fidei ostendere puritatem, simulque protestantium erroribus obsistere; immo ad mutationis causam plene dignoscendam oportet non oblivisci, tunc temporis plures fratres dubiis vexari, timebant enim quod tanta in sacra supelletili paupertate divinissimum Sacramentum minus condigne (2) venerarentur.

Art. 4. — PAUPERTAS IN VICTU ET ALIIS REBUS

131. — Etiam in victu, iuxta pontificias Regulae declarationes, usus moderatus Fratribus Capuccinis permittitur. Legislatio tamen huius secundae periodi nullam attulit in hac re moderationem; sicut ante an. 1536, praecipiunt Constitutiones, quod unicum in mensa cibi genus apponatur, ut ventris frenetur insatiabilitas; si vero fuerit iejunii tempus, addi poterat coctum aut crudum acetarium (3). Capuccini non debent collationes facere excessivas vel superfluas, immo nec ordinarias (4). Vinum ad mensam purum et generosum non poterat apponi, sed aqua bene dilutum (5); nec cibos pretiosos, nec aromata pro illis condendis accipere, aut emendicare licebat, nisi pro infirmis fratribus (6); et, tametsi poenitens frater semper ieunet (7), omnes fratres hortantur ut, praeter duas quadragesimas obligatorias, (i. e. a festivitate omnium Sanctorum usque ad Domini Natalem et aliam ante Pascha), alias quinque, quas ipse Seraphicus Pater facere solebat, et ipsi faciant (8).

Pro victu ideo primae periodi austeritas legalis eadem toto hoc primo saeculo remanet; attamen in praxi extremus ille rigor

(1) Cf. Cone. Trident., sess. VIII, cap. 5; L. PASTOR, *Storia dei Papi*, t. VI, p. 77.

(2) BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *loc. cit.*, p. 24.

(3) *Const. 1536*, n. 51; *Const. 1552*, n. 51.

(4) *Const. 1575*, p. 55. Haec postrema verba omittuntur in Constitutionibus anni 1608, p. 22.

(5) *Const. 1536*, n. 51.

(6) *Const. 1536*, n. 54.

(7) *Const. 1575*, p. 55,

(8) *Const. 1575*, p. 55.

priorum annorum parum mitigatur, sicuti Z. Boverius et alii chronographi testantur (1).

132. — De austерitate ac lectuli paupertate pauca sufficiat indicare. Usque ad an. 1552 fratres nisi infirmi essent aut multum debiles, super nudas tabulas cubare debent, vel super paleam, cui superponere possunt storeas, nullo autem modo lodices (coperte) (2). Reformatio nostra toto hoc tempore nullum linteorum genus tabulis aut paleae, pro lectulo inservientibus, superponit, sed tantum storeas (3). Constitutiones anno 1552 recognitae permittunt, ut supra nudas tabulas vel paleam non tantum storeas, verum etiam vile, sacceum, rudeque linteum possint fratres disponere (4); attamen Ordinationes Capitulares eodem anno 1552 editae in memoriam revocant fratres sanos nec culcitrae stramenticias (sacconi), multo minus laneas (matarazzi) habere posse, aut supra lodices recubare (5).

Easdem omnino praescriptiones Constitutiones a 1575 retinuerunt immutatas; primum in Capitulo generali vigesimo secundo (1596) permittitur, ut nonnullae habeantur culcitrae stramentiae in locis nostris, ne fratres in necessitatis casu culcitrae laneas a saecularibus petant sibi commodandas (6). In Constitutionibus vero anni 1608 vetus praxis ac legislatio praecedens aliquantis per temperantur; determinant enim, ut fratres ordinarie dormiant super paleam, verum si robustiores maioris austерitatis studio super storea tantum, vel nudis tabulis cubare velint, id faciant de licentia praelatorum et dummodo eis obfuturum ne videatur (7).

(1) Cf. Z. BOVERIUS, *Annales*, t. I, ann. 1537, 236, V; CLAUDIO BITURICEN-SIS, *Breviarium chronologicum*, p. 26.

(2) *Const. 1536*, n. 25.

(3) Cf. BERNARDINUS A COLPETRAZZO, *op. cit.*, lib. III, p. 23.

(4) *Const. 1552*, n. 25.

(5) *Cap. Gen. VIII* (1552), AO, t. V, p. 76.

(6) AO, t. V, p. 136.

(7) *Const. 1608*, p. 13.

CONCLUSIO

Seraphicus Doctor Bonaventura, evangelicam adumbrans paupertatem (1), iuridica lineamenta nostrae quoque paupertatis duxit dilucidis ita verbis, ut bene possimus illis, ad litteram ferme allatis, finem huic dissertationi imponere :

Noster Fratrum Capuccinorum Ordo sic rerum temporalium relinquit dominium, quod non reiicit usum ; sic recipit usum, quod non reservat dominium : sic arctitudinem usus servat, quod sustentationem naturae necessariam non devitat ; sic necessitatibus subvenit, quod ab arctitudine non recedit.

(1) *Apologia pauperum, Opera omnia, t. VIII, p. 322-323.*

INDEX ALPHABETICUS NOMINUM ET RERUM *

- Abdicatio omnis iuris civilis in res temporales pertinet ad essentiam paupertatis seraphicae, 57-61.
- Administratio bonorum, 140 sq.; de actibus circa administrationem fratribus prohibitis, v. Contractus, legata, pecunia, testamentum.
- Albacina, v. Capitulum, Constitutiones.
- Alphonsus a Casarubios, eiusdem opus de privilegiis, 21.
- Amicus spiritualis, notio, 181; reenrsns ad ipsum, 179 sq.
- Angelus a Tiferno, Definitor gener. O. F. M. Cap. minimam partem in negotiis Ordinis habuit, 28.
- Antonius de Corduba, script. O. F. M., eius opinio circa guardianorum potestatem, 94, et circa subiectum dominii rerum superfluarum, 136.
- Aureolus Petrus, O. F. M., eius opinio de usu rerum, 69 sq.
- Austeritas vitae priscornm Capuccinorum, 151 sq., 197 sq., 203 sq., 217.
- Barberini, Antonius, card., v. Constitutiones.
- Bartholomaeus Vecchi, script. O. F. M. Cap., utrum limitatio in usu rerum cadat sub voto paupertatis, 73; de testamentis, 104; de legatis, 113, 121; de annuis redditibus, 117; de praxi Ordinis circa pias foundationes, 118; de provisione rerum, 157; de obligatione mendicationis, 159.
- Benedictus Gaetani, v. Bonifatius VIII.
- Benefactores, apud eos manet dominium rerum, 125, 127, 129; requiritur eorum licentia ad commutandum, 89.
- Bernardinus Astensis, O. F. M. Cap., quaedam eius statuta inseruntur in constitutiones an. 1552, 39; eiusdem opinio circa declarationes Regulæ pontificias, 47, et circa usum moderatum, 207, 210.
- Bernardinus a Colpetrazzo, chronographus O. F. M. Cap., 24, 25, 28, 29, 30, 32, 37 sq., 45, 47, 127, 128, 156, 178, 206, 207, 208.
- Bona immobilia, notio, 76; Mendicantes ea habere non possunt, 76; subiectum eorum dominii, 125 sq., 129-131.
- Bona mobilia, subiectum eorum dominii, 127 sq., 131 sq.
- Bonaventura (S.), opinio de moderata rerum provisione, 157, de obligatione laborandi, 160, utrum guardiani sint ministri, 182, de usu moderato, 187, de lineamentis paupertatis, 219.
- Bonifatius VIII et decret. *Exitit*, 131.
- Boverius Zach., annalista O. F. M. Cap., 81, 135, 157, 198, 210, 218.

* Grates sinceras confratri P. Adulpho a Villamañán rependimus, qui hunc indicem alphabeticum nobis confecere voluit.

- Calices, quot et ex quanam materia esse debent, 215, 216.
- Caro, raro et parcissime ea utebantur Capuccini, 203 sq., 207.
- Camaldulenses, influxus legislationis in const. Capuccinorum, 33.
- Capitulum Albacinae, 28.
- Capitulum gener. an. 1585-36, 30, 36; Cap. gener. an. 1581, circa syndicium apostolicum, 148; Cap. gener. an. 1596, circa usum pecuniae, 183; Cap. gener. an. 1618, circa facultates syndici apostolici, 149; Cap. gener. an. 1626, de recursu guardianorum ad amicos spirituales, 184; Cap. gener. an. 1633, de rerum mendicatione, 91; Cap. gener. an. 1637, de facultatibus syndici apostolici, 144 sq.
- Capuccini (Fratres Minores), passim; v. Index analyth.
- Castropalao, J., scriptor, eius opinio circa legata, 112.
- Cantelae requisitae ad recursum ad amicos spirituales, 191-193.
- Cellae, earum forma et paupertas, 198 sq., 211.
- Cibus, quo Capuccini utebantur, 203, 217.
- Cippi, pro pecunia recipienda in ecclesiis poni nequeunt, 176.
- Claudius Bituricensis, script. O. F. M. Cap., 41, 42, 143.
- Clemens V, eiusdem Regulae declaratio, 46, 51, 66, 71, 102, 103, 105, 112, 121, 134, 142, 153, 195, 196, 210, 217.
- Clemens VII, Ord. Fr. Min. Capuccinorum canonice instituit, 20, 41, 150; capitulum celebrari iubet, 30; bulla *In suprema*, 47; de Regulae observantia, 24; bulla *Pastoralis officii cura*, 23 et breve *Exponi nobis*, 126; privilegium de compositione lagatorum, 113.
- Clemens VIII, eius bulla *Religiosae Congregationes* circa munerum elargitione, 95 sq.
- Clemens a Noto, O. F. M. Cap., et nominatio syndici apostolici, 143.
- Colmonzone, coenobium O. F. M. Cap., descriptio, 199 sq.
- Colonna Victoria, 48.
- Commodatum, contractus duplex acceptio, 99 sq.
- Communitas, controversia cum Spirituibus, 71.
- Commutatio, notio et species, 88; utrum liceat fratribus, 89-91.
- Concilium Tridentinum, decretum «de regul. et monial.», 79; eiusdem decreta inseruntur in const. capue. an. 1575, 40; dispositio circa paupertatem, 79-83.
- Concilium Viennense, eius decreta circa Ord. Fr. Minorum, 71.
- Congregatio Fabricae Principis Apostolicum, decretum de modo recipiendi legata, 123.
- Congregations religiosae sacc. XVI oriae, 19.
- Constitutiones capuccinae, notio, 21; series, 21, 36 sq.; character et approbatio, 40 sq.; sunt leges poenales, 40, 207 sq.; earum poenae quando adimplenda sunt, 41; violatores puniantur, 40; influxus aliarum legislationum, 38.
- Constitutiones Albacinae, textus, 30 sq.; character iuridicus, 31 sq.; sunt leges mere poenales, 32; earum approbatio, 33, 41; de legatis non loquuntur, 106; circa dominos locorum, 125 sq.; de limitatione mendicationis, 151; de numero fratrum in coenobiis, 155; de sepultura pauperum, 169 sq.; de modo extruendi conventus, 197; de paupertate in cellis, 198, in ecclesiis, 201, in iunctu, 203; relatio ad constitutiones Ord. Fr. Min., 27, et ad const. capue., 32, 37.
- Constituciones cap. an. 1536, 36-38: promulgantur, 20; approbantur, 41; earum relatio ad const. Albacinae, 37; earum influxus in const. posteriores, 37; circa declarationes Regulae, 45, 129, et glossas, 48, receptionem legatorum, 106, inventarium conventuum,

- 128, mendicationem, 154, pecuniam, 177, recursum ad amicos spirituales, 183, celebrationem missae, 165; de paupertate in conventibus, 211, in ecclesiis, 213, 215, in victu et aliis rebus, 217.
- Constitutiones cap. an. 1552, textus, 38-39; duplex scopus, 39; de non recipiendis legatis, 107; de inventario conventuum, 128; de hortis, 156; de calicibus, 215.
- Constitutiones cap. an. 1575, textus, 39-40; de non recipiendis legatis, 107, 108; de recursu ad amicos spirituales, 183; de eleemosynis praedicationis, 168; de constructione conventuum, 211, et supellectili ecclesiarum, 216.
- Constitutiones cap. an. 1608, textus, 40; de recursu ad amicos spirituales, 183; de numero fratrum in conventibus, 155.
- Constitutiones cap. card. Antonii Barberini, 42.
- Constitutiones cap. an. 1643, 42.
- Contractus, notio et divisio, 84 sq., lato sensu, 85; subiectum, 85; sensu proprio et impropprio, 99; eorum duplex obligatio, 100. V. singuli contractus.
- Contrectatio pecuniae, 175.
- Conventus, exemplar secundum quod construi debebant, 210; paupertate reluceant, 197-200, 210-213; eorum domini, 126 sq., 129; quot fratres in eis habitare debebant, 154, 155.
- Gum capitulum*, breve Gregorii XIII, 40.
- Gum sicut*, breve Pauli III, 41.
- Curiositas rerum fratribus prohibita, 135; in paramentis saecris, 202, 215.
- Custodes, quoad nominationem syndici, 142; fratrum infirmorum sollicitam curam gerant, 182.
- Cuthbertus, script. O. F. M. Cap., 31, 41.
- Cyprianus Crouthers Antverpiensis, script. O. F. M. Cap., utrum limitatio in usu rerum cadat sub voto paupertatis, 73; de testamentis, 104; de notione pecuniae, 173; prohibitio eius expositionis Regulae, 173.
- Cyrillus a Bergomo, script. O. F. M. Cap., utrum limitatio in usu rerum cadat sub voto paupertatis, 73; opinio circa legata, 107, et circa prohibitionem operis Cypriani Crouthers, 174.
- Declarationes pontificiae Regulae, 21, 23, 209.
- Decreta capitolorum generalium, vocantur etiam «memorabilia», «statuta», 22.
- Denarii, notio, 172; v. Pecunia.
- Depositum, sensu proprio et impropprio, 99 sq.; Capuccini nequeunt pecuniam ut depositum custodire, 176.
- Didacus de Cea, O. F. M., eiusdem opinio circa legata, 123.
- Dominicus de Gubernatis, 46.
- Dominium bonorum, notio, 58-59; subiectum dominii rerum quibus fratres utuntur, 125 sq., 128; item bonorum immobilium, 129-131, et mobilium, 131-133, rerum superfluarum et pretiosarum, 133 sq., et pecuniae, 136-139; dominium pecuniae fratribus prohibitum, 174.
- Donatio, notio, 91; rerum extra Ordinem, 92-95, et intra Ordinem, 95; normae Clementis VIII de donationibus, 95-98.
- Ecclesiae Capuccinorum, ad normam Dominus Lauretanae factae, 201, earum domini, 130; paupertas, 200 sq., 213 sq.; capacitas successionis hereditariae, 105 sq.; fundationes, 117.
- Eduardus Alenconiensis, scriptor O. F. M. Cap., 24, 26, 27, 28, 31, 33, 38, 42.
- Eleemosynae, unicus legalis vivendi modus apud Capuc., 149; eleemosynae pecuniariae prohibitae, 137, 189; si eleemosynae indifferentes habentur non licet recursus, 189 sq.
- Emptio, notio, 85; utrum licet Capucinis, 85.
- Eucharistiae cultus, 215.

- Ex iniuncto Nobis*, breve Urbani VIII (23 mart. 1638), 42.
- Exitit*, decr. Nicolai III (14 aug. 1279), 44, 46, 50, 89, 92, 94, 107, 108, 115, 130, 131, 142, 144, 153, 179, 181, 182, 196.
- Exivi*, decr. Clementis V (6 maii 1312), 46, 51, 66, 71, 102, 105, 210.
- Exponi Nobis*, breve Clementis VII (3 iul. 1528), 23, 126.
- Exponi Nobis*, bulla Pauli III (25 aug. 1536), 41, 123.
- Expositio Regulae*, v. Declarationes; Regula.
- Exultantes in Domino*, bulla Martini IV (1283), 50, 143, 145.
- Fidei catholicae fundamenta*, bulla Clementis V (1312), 71.
- Franciscus Aesinus, O. F. M. Cap., 47.
- Franciscus de Angelis (Quiñones); eiusdem statuta, 34.
- Franciscus Assisiensis (S.), de interpretatione Regulae, 22; eiusdem verba et facta apud Capuc., 29; de rerum provisione, 152; de obligatione et modo laborandi, 160; de pecunia et denariis non recipiendis, 161, 171, 177, 190 sq.; de forma ecclesiarum et conventuum, 197; de recursu ad amicos spirituales, 182, 184.
- Franciscus a Cannobio, O. F. M. Cap., eiusdem praxis circa inventarium rerum conventus, 128.
- Franciscus Titelmans, de observantia testamenti, 25 sq.; de labore manuali, 160.
- Fundationes in ecclesiis Capuc., 117; fundationes piae, notio, 118.
- Funeralia, quando in ecclesiis capuc. permittuntur, 169-170.
- Generalis, v. Minister generalis.
- Glossa, notio, 49; glossae regulae S. Francisci, 22.
- Gregorius IX, 44, 50, 66.
- Gregorius XIII, 40, 178.
- Guardianus, quoad nominationem syn-
- dici, 142 sq.; quoad recursum ad amicos spirituales, 183.
- Habitus Capuccinorum ab aliis non usurpetur, 178 sq.
- Hereditaria successio prohibetur Capuc., 101-106.
- Hieronymus Asculanus (Nicolaus IV) et decr., *Exitit*, 131.
- Hieronymus a Politio, script. O. F. M. Cap., 73, 90; de subiecto dominii rerum superfluarum, 136; de obligatione mendicationis, 159; de receptione pecuniae, 177.
- Hieronymus a Sorbo, O. F. M. Cap., de mendicatione rerum committendarum, 90; declarat bullam *Religiosae Congregationes*, 96 sq.; propugnat tutoris in observantia Regulae, 106.
- Holzapfel H., scriptor O. F. M., opinio circa Capuccinos, 48.
- Horti Capuccinorum, eorum dominium apud benefactores, 129; quid in eis plantare liceat, 155 sq.
- Hyacinthus a Casale, scriptor O. F. M. Cap., 60.
- Ieiunii praxis apud primos Capuccinos, 204 sq., 207, 217 sq.
- Infirmi, pro eis licet quaerere cibos pretiosos, 152.
- Innocentius XI, 174.
- In suprema*, bulla Clementis VII (16 nov. 1532), 47.
- Inter multiplices*, et approbatio const. Albacinae, 33, 41.
- Inventarium bonorum omnium conventus, 128.
- Ioannes XXII, 51, 130, 132.
- Ioannes a Fano, 44, 46, 49, 73, 90; quoad facultates syndici apostolici, 144; quoad austeritatem, 157; quoad recursum ad amicos spirituales, 180; quoad artem exstruendi conventus, 199.
- Ioannes Guadalupensis, influxus eius statutorum in const. capuc., 34.

- Ioannes de La Puebla, influxus eius statutorum in const. capuc., 34.
- Ioannes a Terranova, O. F. M. Cap., 158.
- Iosephus a Monte Rotondo, O. F. M. Cap., 32, 128.
- Iulius Antonius, card. S. Severinae, Ordinis Protector, 42.
- Ius, notio et divisio, 57; fontes iuris paupertatis, 20 sq.; actus iuris politici, 37 sq., definitio, 58; ius proprium Capuc., 20 sq., 30 sq.
- Labor, 160-170; est legalis vivendi modus Capuc., 160 sq.; labor manualis secundum mentem S. Francisco, 161; a mendicatione iuridice non distinguitur, 161; merces accipienda pro laboribus corporalibus, 161-163, et spiritualibus, 163-170.
- Lectus apud primos Capuc., 205, 218.
- Leo X, aliqua eius privilegia Capuc. respuunt, 216.
- Legata, utrum ea Capuc. acceptare licet, 106 sq.; modus licitus ea recipiendi, 108 sq.; a quibus abstinere debent, 109 sq.; directe et indirecte relicita, 112; privilegium Clementis VII de compositione legatorum, 113; oppositae sententiae circa legata annorum redditum ad modicum tempus, 113 sq.; legata bonorum mobilium, 114; legata pecunaria, 115; legata et capacitas ecclesiarum, 115 sq.; figura iuridica legatorum, 119 sq.; legatorum receptio per modum eleemosynae, 122-124.
- Legenda trium Sociorum, 29.
- Liber Conformatum et const. capuc., 34.
- Locatio, utrum liceat Capuc., 99 sq.
- Ludovicus a Fossombrone, 23, 24, 28, 29, 30, 47, 160.
- Lngo, J. de, 62.
- Marinus a Neukirchen, O. F. M. Cap., seriem constitutionum contexit, 21.
- Marius a Mercato Saraceno, chronogra-
- plus Ordinis, 135, 178, 179, 205, 212, 213, 214.
- Martinus IV, 50, 143.
- Martinus V, 137 sq.
- Matthaeus a Bascio, 24, 28, 47.
- Matthias Salodiensis, chronographus Ordinis, 28, 30, 31, 32, 202.
- Memoralia, idem ac ordinationes vel decreta, 22.
- Mendicantes, qui sunt, 76.
- Mendicatio, rerum non necessariarum, 87; privilegium, 149 sq.; in quo differt a mendicitate, 149; limitatio, 151-158; obligatio, 158-59; mendicatio et labor franciscalis iuridice non distinguuntur, 161.
- Mendicitas, differt a mendicatione, 149; est patrimonium Capuc., 74.
- Merces pro laboribus suscipienda, 161 sq.; quomodo recipi possit, 162 sq.; pro laboribus corporalibus, 162 sq., et spiritualibus, 163.
- Ministri, significatio huius verbi, 182; pro necessitatibus fratrum sollicitam curam gerant, 182.
- Ministri generales, eorum licentia ad res commutandas, 89; quoad nominationem syndici apostolici, 172.
- Ministri provinciales, licentia ad commutationem, 89; quoad syndici apostolici nominationem, 172.
- Missae, pro saecularibus celebrandis ne recipiantur, 162, 164; eleemosynae, 162, 166 sq.; ne celebrentur propter favorem humanum, 165; subditi ne plures accipiant celebrandas, 166; obligatio celebrandi ex promissione gratuita, 166.
- Monumenta iuris paupertatis, 21.
- Mundities in ecclesiis praesertim relucat, 202, 203, 215.
- Mutuum, notio, 98 sq.; Capuc. interditum, 99, 191.
- Necessitas, ad recurrendum ad amicos spirituales, 184 sq.; amico spirituali manifestanda, 191 sq.

- Nicolaus III, 44, 46, 50, 67, 87, 89, 92, 94, 107, 108, 115, 131, 132, 142, 144, 149, 179, 180, 181, 182, 191 sq., 193, 196.
 Nicolaus IV, 50, 130.
- Olivii Petrus, O. F. M., opinio eiusdem circa limitationem in usu rerum, 69 sq.
 Oratoria, eorum dominium, 130.
 Ordinationes capitolorum gener., vocantur etiam memoralia et statuta, 22; earum collectio authentica, 43; fons iuris Capuc., 43.
- Paramenta saera, pauca sint et paupertate reluceant, 202, 215.
 Pastor L., 32.
Pastoralis officii cura, litt. apost. Clementis VII (15 apr. 1534), 23.
 Paulus III, approbat const. capuccinas an. 1536, 41.
 Paulus V, quoad nominationem syndici, 143.
 Paulus a Caesena, Min. gener. O. F. M. Cap., quoad aedificationem conventuum, 211 sq.
 Paulus Clodiensis, O. F. M. Cap., def. gener., 28; statuta Albacinae in lingua latinam vertit, 30.
 Paulus Iustinianus, 33.
 Paupertas, fontes iuris paupertatis, 50 sq.; essentia, 56-74; extensio, 75-148; utrum paupertas Fr. Min. sit possibilis, 61; vocatur altissima, 61; paupertas in conventibus, 197 sq., 210 sq., in ecclesiis 200 sq., 213 sq., in victu et aliis rebus, 208 sq., 217 sq.; a Cone. Tridentino specialiter recognita, 79-83; passim.
 Pecunia, notio, 172 sq., extensio prohibitionis eam recipiendi, 175 sq.; gravitas praecepti, 177; usus politius et naturalis, 175; subiectum dominii pecuniae, 136 sq.; non licet eam emendicare, 152; contrectatio, 175; quid sit eam recipere per interpositam personam, 177.
 Permutatio, v. Comutatio.
 Persona interposita quoad pecuniam, 176 sq., 192.
- Petrus de Alcatara (S.), 128.
 Pignus, utrum liceat fratribus, 99-100.
 Possessiones, notio, 59, 77; differt a dominio ?, 59.
 Praedicatio, utrum pro ea mercedem fratres accipere possint, 167-169.
 Praetiositas rerum et paramentorum prohibita, 135, 202, 215.
 Privilegia S. Sedis, collectio, 21, 50; reuniantio, 49 sq.
 Proprietas, in quo differt a dominio, 58; proprietas pecuniae, 174.
 Provincialis, v. Ministri provinciales.
 Provisio rerum quando et quomodo liceat, 153.
- Quadragesimae, quas primi Capuc. ieunabant, 217.
 Quattuor Magistri, expositores Regulae, 160, 182.
Quia nonnulli, bulla Nicolai IV (30 apr. 1280), 50, 130.
 Quiñones, v. Franciscus de Angelis.
Quo elongati, bulla Gregorii IX (1230), 44, 50, 66.
Quorundam exigit, bulla Ioannis XXII (1317), 51.
- Recollecti hispani, eorum statuta, 41.
 Recursus ad amicos spirituales, 179-193; notio, 180-181; causa et effectus, 181; quinam possint recurrere, 182-184; quandonam recurrentum sit, 184; quinque conditiones adimplendae, 184-190; quomodo est recurrentum, 190; quinque cautelae, 191-193.
 Reditus, notio, 78; Fr. Minoribus sunt prohibiti, 78.
 Reformatio religiosa, quid sit, 19; differt a Religione, 19.
 Regula seraphica, constitutiones eius primum faciliorem reddunt, 21; quomodo a Fr. Capuc. observatur, 22 sq.; quid sit «Regula ad litteram observare», 25; eius declarationes, 26; interpretatio authentica, 26; fratres Capuc. regulam novam non constituerunt, 27; in materia paupertatis Capuc. Regulae et Testamento unice

- adhaerebant, 28; praeceptum de paupertate, 66; caput V non continet novum praeceptum de non recipiendis denariis, 162; circa recursum ad amicos spirituales, 182, 184; de uso aroto, 195.
- Regularium personarum*, breve Gregorii XIII (4 oct. 1581), 178.
- Religionis zelus*, bulla Clementis VII (3 iul. 1528), 20, 23, 33, 41, 126, 150.
- Religiosae Congregationes*, bulla Clementis VIII (19 iun. 1594), de largitione munierum, 95-98.
- Renacavata, coenobium capuc., 200.
- Res temporales, notio, 60; de his quae fratribus Capuc. circa ipsas non competunt, 56-61, et de his quae illis competit, 61-65.
- Rodericus E., scriptor O. F. M., 112.
- Rufinus a Senis, scriptor O. F. M. Cap., 135.
- Sacramentum, eius locus et supellex, 214.
- Sacrosanctum Apostolatum*, decretum Urbani VIII (19 iun. 1643), 43.
- Sanctes Tesauro, scriptor O. F. M. Cap., 106, 144, 159, 183.
- Silvester ab Assisio, scriptor O. F. M. Cap., 73, 166.
- Sollicitudo pastoralis*, const. Innocentii XI circa usum pecuniae, 174.
- Spirituales fratres, opinio eorum circa regulam, 22 sq., et testamentum S. Francisci, 25; de usu limitato rerum, 70, 71.
- Sponsio, notio, 99; utrum liceat fratribus, 99 sq.
- Statuta, idem sunt ac ordinationes et decreta, 22.
- Suarez F., scriptor S. J., eius sententia circa fratres Capuc., 48, paupertatem franciscanam, 68, et legata, 112; de rerum usu, 139.
- Substitutus dantis, 193.
- Supellex sacra, v. paramenta.
- Superfluitas, fratribus vetita, 133, 135; in paramentis sacris, 202, 215.
- Superiores eorum cura de paupertate servanda, 156.
- Syndicus apostolicus, notiones 140; requiritur eius opera in venditione, 87, et commutatione, 89; Capuc. non admittunt syndicum Martini IV et V, et usque ad an. 1536 nullum habuerunt, 141; syndici nominatio, 142-143; eius facultates, 144-148.
- Testamentum S. Francisci, eius vis obliquatoria, 25; eius observantia apud primos Capuc., 28, 44, 45; incapacitas acquirendi per testamenta, 101 sq.; quaestiones controversae, 103 sq.; de incapacitate nostrarum ecclesiarum comparate ad ipsa, 105 sq.
- Thomas a Tiferno, Min. gener. O. F. M. Cap., in conc. Tridentino paupertatem propugnat, 82.
- Ubertinus a Casale, eius opinio de usu limitato rerum, 70.
- Urbanus VIII, 42, 43, 98, 123.
- Usus, eius notio, 58-59; iuris et facti, 61; arctus et moderatus, 72, 194 sq.; separatur a dominio, controversiae, 62 sq.; utrum includatur essentialiter in voto paupertatis, 72-73; usus limitatus preascribitur a const. capuc., 73; simplex usus facti pecuniae prohibetur, 174; usus arctus, 194, 207; usus moderatus, 195; usus iuris, 59; paupertas in usu rerum, 194 sq., 209 sq.
- Ususfructus, notio, 58-59.
- Venditio, quid sit, 85; utrum fratribus liceat, 86.
- Viator a Coccoleo, scriptor O. F. M. Cap. 162.
- Victus apud primos Capuc., 203 sq.
- Vinum permittitur, 203, 217.
- Xystus IV, quaedam eius privilegia fratres Capuc. respuunt, 216.
- Zabarella, card. 62.
- Zweckvermögens-Theorie, 74.

INDEX ANALYTICUS

PROOEMIUM	Pag. 7
BIBLIOGRAPHIA	11-16

PARS PRIMA

DE FONTIBUS IURIS PAUPERTATIS FRATRUM MINORUM CAPUCCINORUM USQUE AD ANNUM 1638

PRAENOTANDA	19
-----------------------	----

CAPUT I. — DE IURE FRATRUM CAPUCCINORUM PROPRIO AB AN. 1528 AD AN. 1536

Art. 1. — IUS RETENTUM EX LEGISLATIONE FRANCISCALI PRAECEDENTI	20-29
--	-------

A. — <i>Fratrum Capuccinorum conditio comparate ad ius franciscanum ipsis praecedens</i>	20-22
B. — <i>Conditio Fr. Capuccinorum comparate ad seraphicam Regulam</i>	22-25
C. — <i>Fr. Capuccinorum conditio comparate ad testamentum S. Fun- datoris</i>	25-26
D. — <i>Conditio Fratrum Capuccinorum comparate ad pontificias Regulae declaraciones</i>	26-27
E. — <i>Conditio Fratrum Capuccinorum comparate ad constitutiones et de- cisiones capitulares in Observantia vim habentes</i>	27-29

Art. 2. — IUS NOVUM FRATRIBUS CAPUCCINIS PROPRIUM	30-33
---	-------

A. — <i>De constitutionum textu</i>	30-31
B. — <i>Charakteres iuridici constitutionum Albacinae</i>	31-33

Art. 3. — DE INFLUXU ALIARUM LEGISLATIONUM IN PRIMAEVAS CONSTITU- TIONES CAPUCCINAS , , , , ,	33-35
--	-------

**CAPUT II. — DE IURE PROPRIO FRATRUM CAPUCCINORUM
AB ANNO 1536 AD ANNUM 1638**

Art. 1. — IUS NOVUM REFORMATIONIS PROPRIUM	36-48
A. — Diverseae Ordinis constitutiones:	
a) Constitutiones anni 1536	36-38
b) Constitutiones anni 1552	38-39
c) Constitutiones anni 1575.	39-40
d) Constitutiones anni 1608	40
e) Iuridicus constitutionis character et approbatio	40-43
B. — Ordinationes capitulorum generalium	43
Art. 2. — IUS RETENTUM	43-51
A. — <i>Conditio Ir. Capuccinorum comparate ad seraphicam Regulam</i>	44
B. — <i>Conditio Fr. Capuccinorum comparate ad testamentum S. Francisci</i>	44
C. — <i>Conditio Fr. Capuccinorum comparate ad pontificias Regulae declarationes.</i>	45-47
D. — <i>Fr. Capuccinorum conditio comparate ad Regulae glossas et privilegia</i>	48-50
EPILOGUS	50-51

PARS SECUNDA

**LINEAMENTA IURIDICA PAUPERTATIS
FRATRUM MINORUM CAPUCCINORUM**

PAENOTANDA.	55
----------------------------	-----------

SECTIO I

DE ESSENTIA PAUPERTATIS FRATRUM MINORUM CAPUCCINORUM

CAPUT I. — DOCTRINA CERTA

Art. 1. — DE HIS QUAE FRATRIBUS CAPUCCINIS CIRCA RES TEMPORALES NON COMPETUNT	56-61
Art. 2. — DE HIS QUAE FRATRIBUS CAPUCCINIS CIRCA RES TEMPORALES COMPETUNT	61-65
Art. 3. — TRADITAE DOCTRINAE PER TEXTUS LEGALES COMPROBATIO	66-68

**CAPUT II. — DOCTRINA CONTROVERSA. AN ALIQUIS RERUM
USUS AD ESSENTIAM SERAPHICAE PAUPERTATIS PERTINEAT**

Art. 1. — QUAESTIO HISTORICA	69-72
Art. 2. — FRATRUM CAPUCCINORUM CONDITIO	72-74

SECTIO II

DE EXTENSIONE PAUPERTATIS FRATRUM MINORUM CAPUCCINORUM**CAPUT I. — DE PAUPERTATE FRATRUM MIN. CAPUCCINORUM QUATENUS
SUNT MENDICANTES**

Art. 1. — INCAPACITAS BONA IMMOBILIA POSSIDENDI	76-79
Art. 2. — DISPOSITIO TRIDENTINA CIRCA CAPUCCINORUM PAUPERTATEM	79-83

CAPUT II. — DE ORDINIS INCAPACITATE CONTRACTUALI

Art. 1. — DE CONTRACTIBUS PROPRIETATIS	84-99
A) <i>De emptione-venditione</i>	85-88
B) <i>De commutatione</i>	88-91
C) <i>De donatione</i>	98-99
D) <i>De mutuo</i>	98-99
Art. 2. — DE ALII CONTRACTIBUS	99-100

**CAPUT III. — DE INCAPACITATE ACQUIRENDI BONA TEMPORALIA
PER TESTAMENTA ET LEGATA**

Art. 1. — DE INCAPACITATE SUCCESSIONIS HEREDITARIAE	101-105
A) <i>Incapacitas Ordinis et aliarum personarum moralium</i>	101-106
B) <i>Incapacitas ecclesiistarum</i>	105-106
Art. 2. CAPACITAS ET INCAPACITAS SUCCESSIONIS LEGATARIAE	106
A) <i>Doctrina et Ordinis praxis ab an. 1528 usque ad an. 1575</i>	106-108
B) <i>Doctrina et praxis ab anno 1575 ad an. 1638 circa Ordinis capaci- tatem</i>	108-115
1) Legata bonorum immobilium et annorum redditum	109-114
2) Legata bonorum mobilium	114
3) Legata pecuniaria	115
C) <i>Doctrina et Ordinis praxis ab anno 1575 ad annum 1638 circa ca- pacitatem ecclesiarum</i>	115-118
D) <i>Figura iuridica legatorum Ordini relictorum</i>	119-122
1) Legata licito modo reicta	119
2) Legata modo illicito reicta	120
E) <i>Legatorum per modum eleemosynae receptio</i>	122-124

**CAPUT IV. — DE SUBIECTO DOMINI RERUM
QUIBUS UTUNTUR CAPUCCINI**

Art. 1. — DE SUBIECTO DOMINI AB ANNO 1528 AD AN. 1536	125-128
---	---------

A) <i>De subiecto dominii bonorum immobilium</i>	125-127
B) <i>De subiecto dominii bonorum mobilium</i>	127-128
Art. 2. — <i>DE SUBIECTO DOMINII AB ANNO 1536 AD AN. 1638</i>	128
A) <i>De subiecto dominii bonorum immobilium</i>	129-131
B) <i>De subiecto dominii bonorum mobilium</i>	131 133
C) <i>De subiecto domini rerum superfluarum et preciosarum</i>	133 36
D) <i>De subiecto dominii pecuniae</i>	136-139

**CAPUT V. — DE RERUM ADMINISTRATIONE
SEU DE SYNDICO APOSTOLICO**

Art. 1. — <i>DE SYNDICO APOSTOLICO APUD FR. CAPUCCINOS AB ANNO 1528 AD AN. 1536</i>	141-142
Art. 2. — <i>DE SYNDICO APOSTOLICO APUD FR. CAPUCCINOS AB ANNO 1536 AD AN. 1638</i>	142-148
A) <i>Nominatio syndici</i>	142-143
B) <i>Syndici facultates</i>	144-148

**SECTIO III
DE LEGALIBUS VIVENDI MODIS**

CAPUT I. — DE MENDICATIONE

Art. 1. — <i>DE MENDICANDI PRIVILEGIO</i>	150
Art. 2. — <i>MENDICATIONIS LIMITATIO</i>	151-158
A) <i>Quoad qualitatem rerum</i>	151
B) <i>Quoad quantitatem rerum</i>	152-158
Art. 3. — <i>MENDICANDI OBLIGATIO</i>	158-159

CAPUT II. — DE LABORE

Art. 1. — <i>DE MERCEDE PRO LABORIBUS CORPORALIBUS RECIPIENDA</i>	161-163
A) <i>Quid potest recipi</i>	161-162
B) <i>Quomodo merces recipi potest</i>	162-163
Art. 2. — <i>DE MERCEDE PRO LABORIBUS SPIRITUALIBUS RECIPIENDA</i>	163-170
A) <i>De missarum celebratione</i>	164-167
B) <i>Pro praedicatione verbi Dei.</i>	167-169
C) <i>Pro funeribus</i>	169 170

CAPUT III. — DE RECURSU AD AMICOS SPIRITUALES

Art. 1. — <i>DE DENARIORUM ET PECUNIAE PROHIBITIONE</i>	171-179
A) <i>Prohibitionis obiectum</i>	172-174
B) <i>Prohibitionis extensio.</i>	174-177
C) <i>Huius praecepti observantia in Reformatione nostra</i>	177-179

Art. 2. — DE RECURSU AD AMICOS SPIRITUALES	179
A) <i>Quid veniat nomine recursus</i>	180-181
B) <i>Ad quosnam spectat recurrere</i>	182-184
C) <i>Quando est recurrendum</i>	184-190
D) <i>Quomodo est recurrendum.</i>	190-193

SECTIO IV

DE PAUPERTATE IN USU RERUM


CAPUT I. — DE USU ARCTO ET MODERATO	194-196
---	---------

CAPUT II. — CAPUCCINORUM PAUPERTAS IN RERUM USU USQUE AD ANNUM 1536	
--	--

Art. 1. — PAUPERTAS IN CONVENTIBUS	197-200
Art. 2. — PAUPERTAS IN ECCLESIIS	200-203
Art. 3. — PAUPERTAS IN VICTU ET ALIIS REBUS	203.208

CAPUT III. — CAPUCCINORUM PAUPERTAS IN RERUM USU AB ANNO 1536 USQUE AD ANNUM 1638	
--	--

Art. 1. — CERTA ORDINIS NORMA DOCTRINALIS	209-210
Art. 2. — PAUPERTAS IN CUNVENTIBUS	210-213
Art. 3. — PAUPERTAS IN ECCLESIIS	213-217
Art. 4. — PAUPERTAS IN VICTU ET ALIIS REBUS	217-218
CONCLUSIO	219
INDEX ALPHABETICUS NOMINUM ET RERUM.	221
INDEX ANALYTICUS	229



BIBLIOTHECA SERAPHICO - CAPUCCINA

VOLUMINA HACTENUS EDITA

SECTIO HISTORICA

- Vol. I. — P. LEUTFRID SIGNER, O. F. M. CAP., *Die Predigtanlage bei P. Michael-Angelus von Schorno, O. F. M. Cap. (1631-1712). Ein Beitrag zur Geschichte des Barockschrifttums.* — 1932. — In-8° mai., XVI-152 p. — Lib. it. 20.
- Vol. II. — P. AGATHANGE DE PARIS, O. F. M. CAP., *Un cas de jurisprudence pontificale. Le P. Ange de Joyeuse, capucin et maréchal de France, avec pièces justificatives et documents inédits.* — 1936. — In-8° mai., XX-148-106* p. — Lib. it. 25.
- Vol. III. — P. PACIFIQUE DE PROVINS, O. F. M. CAP., *Le voyage de Perse*, édité d'après l'édition de 1645 avec des notes critiques par les PP. Godefroy de Paris et Hilaire de Wingene, O. F. M. Cap. — 1939. — In-8°, XCII-271 p.
- Vol. IV. — IDEM, *Brève relation du voyage des îles de l'Amérique*, éditée avec des notes critique par le P. Godefroy de Paris, O. F. M. Cap. — 1939. In-8°, 48* et 84** p. — Pretium vol. III-IV, lib. it. 35.
- Vol. V. — CONSTANTIUS AB ALDEASECA, O. F. M. CAP., *Natura iuridica pauperlatis Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum ab anno 1528 usque ad annum 1638.* — 1943. — In-8° mai., 234 p. — Lib. it. 35.
- Vol. VI (*In praeparatione*). — BONAVENTURA VON MEHR, O. F. M. CAP., *Das Predigtwesen in der Kölnischen und Rheinischen Kapuzinerprovinz im 17. und 18. Jahrhundert.*

SECTIO ASCETICO-MYSTICA

- Vol. I. — P. MATTIA DA SALÒ, O. F. M. CAP., *Pratica dell'orazione mentale.* — Introduzione ed edizione critica del P. UMILE DA GENOVA, O. F. M. CAP. — Parte I. — 1932. — In-8° min., LX-310 p. — Lib. it. 15.
- Vol. II. — IDEM, Parte II — 1934. — In-8° min., VIII-402 p. — Lib. it. 15.
- Vol. III. — ANASTASIUS HARTMANN, O. F. M. CAP., *Institutiones theologiae pastoralis usui FF. Min. Capuccinorum accomodatae.* Nunc primum in lucem editae a P. ADELHELMO JANN A STANTIO, O. F. M. CAP. — 1932. In-8° min., LXIV-186 p. — Lib. it. 10.
- Vol. IV. — *Traité inédit sur la présence de Dieu*, composé en arabe par un ancien missionnaire capucin d'Alep et traduit en français, avec une introduction et des notes explicatives, par le P. LOUIS DE GONZAGUE, O. F. M. CAP. — 1935. — In-8° min., LXXXIII-106 p. — Lib. it. 10.
- Vol. V. (*In praeparatione*) — GIOVANNI DA FANO, O. F. M. CAP., *L'arte di unirsi con Dio*, con introd. e note del P. EMIDIO D'ASCOLI, O. F. M. CAP.

Postulata inscribantur :

ISTITUTO STORICO DEI FR. MINORI CAPPUCCHINI

VIA SICILIA, 159 — ROMA (125)